

OPERVM
POETICORVM
IACOBI FALCONIS
VALENTINI MONTESIANÆ
Militiæ equitis, eiusdemq; Ordinis Præfecti loco, ac nomine Philippi II. Regis Hisp. Poëtæ, & Geometræ clarissimi, Libri Quinque.

AB EMANVELE SOVSA COVTIGNO Lusitano olim collecti, in volumenq; redacti.

Noua editio, quàm plurimis eiusdem Auctoris operibus, quæ nondum lucem viderant, locupletata.





Cum Licentia Barcinone.

Apud Stephanum Liberòs, in vico Sancti Dominici, Anno 1624.

Expensis Ioannis Simon Bibliopol

CENSVRA A. R. P. F. THOMÆ Roça S. Theologiæ Magiſtri.

OPERA Poëtica Iacobi Falconis V. Clariſsimi vndequaq; conquiſita, & in quinque libros diſtributa typis mãdari curauit Apud Mãtuam Carpentanorũ ante annos viginti quatuor Emanuel Souſa Luſitanus; tantoque fuerunt ſtudioſorum applauſu accepta, vt breui tempore exemplaria omnia diſtracta penè euanuerint. Quam ob cauſam plerique bonarum literarum cultores deſiderarunt eadem iterũ excudi, ſuper additis non paucis eiuſdem Auctoris operibus, quæ apud peritos diſ-

persa contigit reperiri; hoc exemplo sperantes fore, vt alia huius viri scripta quæ similiter apud literatos creduntur asseruari, vel ab eisdem, ne immerito pereant, euulganda in hanc vrbem transmittātur, vel certè absq; inuidia proferantur Musarum amatoribus bonam gratiam relaturis. Hæc interim mihi recensenda mandauit Excellentissimus Dominus Ioannes Sentis Barcinonensis Antistes, ac Catholicæ Regiæ Maiestatis in hoc Cathaloniæ Principatu Locumtenens; in quibus diligenter perlectis, & examinatis nihil reperi non eruditū, non pium, & quod Christianū Autoris pectus non referat, ac proinde censui dignum libellum, qui publicetur prælo excusus cū additionibus asterisco notatis, non modo ingeniosis oblectamentum, sed etiam eruditis non modicam allaturus vtilitatem. Barcinonæ in Conuentu Prædicatorum S. Catherinæ Martyris, die 25. Februarij, Anni 1624.

Fr. Thomas Roca.

Io. Epis. Barcinon.

PHILIPPO



PHILIPPO III. HISPANIARVM ATQVE INDIARVM REGI

Catholico, Clementiſsimo, Auguſtiſsimo, Inuictiſsimo ſalutem, & continentem felicitatis curſum.


C*VM Reges in terris præpotentis Dei prouidentiā exercere, vicem agere, & quaſi quandam perſonā ſuſtinere ipſæ ſacræ literæ pluribus locis atteſtentur, non immeritó, Regum potentiſsime, opē tuam in beneficium amici fato functi imploratum accedo. Ecce oblata iacēt*

adpedes tuos ossa arida Falconis Valentini: scripta, inquã, Falconis Poëtæ quondam disertissimi apud Valentinos, in volumẽ quasi in corpus integrum compacta: quibus, vt tui fauoris afflatu vitam inspires efflagitamus, non breuem, non communem, non ad interitum præcipitibus ruentem spatijs, sed diuturnam, & immortalem, atq; in perpetuum duraturam idest, æternam, nullisque finibus circunscribendam famam. Quæ vt nihil homini liberali in vita optabilius, sic post fata nihil gloriosius. Hanc tu cumulatissime præstabis, si ad scripta quæ offerimus inclinata tantisper

Regia Maiestate oculos demittere non dedignaberis. Ità enim fiet, vt statuã, quam nos amico pro viribus papyraceam ponimus, tu in Orbis theatro marmoream, tu auream reddas. Si enim veteres Poetæ solo Musarũ fauore, quasi aura afflati nominis immortalitatẽ sibi ausi sunt augurari, quid nos Falconi cũ veteribus æquo iure de poëtica laude certanti audebimus polliceri, si illum Musarũ iam gloria euectum Regius tuus fauor benigniùs complectatur? Accipe igitur, Rex Augustissime, Falconis poëmata, in quæ afflatu tuo viuẽtem animam introducas, vt Rempublicam lite-

rariam augeas, tuosq; populos in bonarum artium studia incendas: reflabunt hæc olim non vltimo loco in Regiæ tuæ virtutis laudem. Honora Falconem, quo Valentiam vrbem tuam, eiusdem patriam, multisq; tibi nominibus deuinctam immortali beneficio denuò astringas. Honora cũ Falcone omnes illi Musarum studijs coniunctos, vt maiores tuos, duosq; ipsos Alfonsos, quamuis Sapientum cognomẽ literarũ gloria adeptos, nõ solùm imiteris: verùm, vti speramus, longissimè antecellas. Vale. Datum Idi. Martijs Mantuæ Carpentanorũ.

Emanuel Sousa Coutignus.



STVDIOSIS LECTORIBVS.

S.



IC Locus est, vbi qui suos edunt libros, pauca de instituto, vel iudicio suo præfari solent. Ego verò, studiosi Lectores; cui alienos in lucem proferre cõtigit, iure meo agere videar, si non pauca solùm dicam, sed librum etiam meum alieno libro prælegendum offeram. Multa mihi dicenda incumbunt, multorum accusationes præ-

occupandæ. Quis porrò multa paucis cõplectatur? Plerosq; mihi sic occurrentes video. Quid Lusitano cum Valentino? Quid exuli cum sepulto? Prætereà. Quid tu in opere alieno laudem quęris? Quid indigenam laudem à Valentinis extorques? Insuper qui lectitare incipiũt. Quid nobis non Virgilij centones, obtrudis? Quid Aristotelem Poëtam reddis? Ad extremum. Quid in modico libello plures libros distrahis, & connectis? Hæc sanè est gratia, qua omnium ferè scriptorum labor rependitur: nec me latet antiquam esse vulgi consuetudinem, vetereq; inuectiuam, vt planè credamus, omnes qui se ad studia bonarum artium conferunt, & publicæ utilitati seruiunt, nulla spe humani præmij adductos, sed diuino instinctu agitatos id facere. Vndè non iam prologium, sed apologiam mihi in limine constituendã video. Omnes ergo mortales in primis persuasos velim, nullũ me inanis gloriæ stimulũ huic oneri susci piendo adegisse. Officium est veteris, &

bene

bene fundatæ amicitiæ. Si qui simili vinculo animum aliquando obstrinxistis, facile apud expertos fidem inueniam. Sed vt singula dilucidiùs explanentur, pauca mihi de Falcone nostro præmonenda erunt. Iacobus Falco Valentiæ Edetanorum (vrbs est in Hispania tam amœnitate soli, quàm ingeniorum vbertate notissima) natus est nobili quidem, & antiquo loco. Prima ætate humanis literis incubuit: in ijs eam de se expectationem dedit tum ingenij acumine, tum iudicij profunditate, vt magistri Poëtam natum assererent. Adhuc syllabarum naturas vix perceperat puer iam iusta mensura carmina scandere, claudicanti a nosse, & restituere, totum Virgilium memoriter recitare. Cùm tale à natura ingenium accepisset, primis humanitatis rudimentis vix excoluit. Vitium est Hispaniæ nostræ peculiare. Cœlum habemus ingeniorum minimè auarum, homines disciplinarum auarissimos. Vnde quos clarissimos habuimus viros, ij magna ex

parte

parte sunt, qui apud exteras nationes ingenium exercuere liberi à parentum seu incuria, seu auaritia. Ita Falco plùs naturæ, quàm arti & parentibus debitor adolescentiam sanè importuno tempore ad otium conuertit. Hinc lusorijs artibus aleæ, & talorum animum adiecit, plùs quàm decet literarum amatorem. Vnum illi hoc vitium in illa ætate obijcitur: in quod paulo post Satyris duabus ità inuectus est, vt posis conijcere: satis ipsum malè impensæ operæ pœnituisse. Sed cùm egregiæ indolis esset suopte ingenio, tanquam pondus ad centrum ad studia literarum deferebatur. A Musarum aulis absens domi multa sibi, & difficilia discenda imponebat. Suo ductu, nulliusq; auspicijs totam Aristotelis philosophiam, librosq; Platonis percurrit. Mathematicas artes Geometriam, & Astrologiam ità penetrauit, vt in vtraq; insignis euaserit. At ne animum laboriosæ scientiæ studio semper contunderet, vel coætaneis, & ciuibus suis minùs videretur humanus, -

lusui

lusui quidem inter amicos successiuis horis indulgebat, sed tali lusui, qui ingenium eius profundè, & non sine virtute exerceret. Audierat sacerdotem vulgò Abbatem Safræ nominatum ingentem nominis famam Latrunculorum ludo consecutum, quòd omnes ætatis suæ homines non solum artis calliditate vinceret, sed quòd memoriter, absensq; ab alueolo cum præsentibus luderet (dictu quidem mirabile). Floret is in Hispania ludus, præcipuè inter nobiles, & bene moratos viros. Contentio est iudiciorum, examen ingenij: minoris fit in eo lucrum, quàm victoria: ipsa potiùs victoria pretium est, & præmium victoriæ. Mirum narrabo præstantissimi ingenij exemplum. Cùm anteà ne Latrũculos quidem agere nosset paruo temporis interuallo, non tantùm cum dexteritate ludere, victoriamq; de spectatissimis lusoribus reportare, sed etiam memoriter ludere, & cum Abbate ipso de laude certare. Certo scio multis hoc futurum incredibile: sed

cùm

cùm inter viuos testes loquar, mirabilia narrare non erubesco: incredulosq; omnes oratos velim, fidem mihi non prius adhibeant, scrupulumuè animo deponant, quàm testes ipsos oculatos, qui plures adhuc super sunt, percontentur. Is erat Falco, qui sibi semper difficillima arrogabat; vt ipse eleganter differit lib. 2. Ode. 24. Vndè accusatus venustatis, & facilitatis, qua in Satyra vtebatur (quasi nomen Poëtæ amitteret, qui à Persiano illo tetrico, & obscuro scribendi genere abhorreret) Satyram integram data opera composuit: vbi sententiam Horatianę illius, quæ incipit. Qui fit Mæcenas, &c. ad vnguem exprimens, singulos versus à monosyllabis orsus monosyllabis clausit. Persium etiam eadem de causa imitatus est Satyra 2. O studia, ò mores, &c. Sed qui clarissimum ingenium à natura acceperat, nullo modo adduci poterat, vt obscurè animi sensa depromeret. Legerat apud Gellium, vt ipse mihi sæpius affirmauit, difficillimum existimatum fuisse

fuiſſe priſca illa ætate carminis Iambici genus, quod Iambis pedibus merè conſtaret. Hinc anſam arripuit edendi epigrammata, Odeſq; non paucas meris Iambis ſummo cum labore, ſed non minore cum laude. Omitto retrogradorum carminum varia genera, quæ primo patent libro: qui quidem labor, quamuis ſterilis, & tanto viro indignus videatur, ſubtilitatem tamen ingenij non contemnendam arguit. Sed maximè Falconem ad opinionem induſtriæ, & ſagacitatis commendauit nouus occultè ſcribendi modus (cifram Hiſpani vocant) ab eo inuentus. Cum audiuiſſet literas Regias, quę ad exercitum mittebantur, ſæpius interceptas conſilia noſtra hoſtibus retexiſſe, quamuis obſcuro ſatis ſcribendi genere exaratas: nouum excogitauit tam inextricabili ambage perplexum, vt meritò Labyrintus (quod illi nomen Autor dedit) appellari poſsit. Id nos in publicam vtilitatem Geometricis eius lucubrationibus ſubnectimus. Cùm his artibus

tibus in vrbe sua omnibus charus esset, incredibile est, quàm intrinseca familiaritate, quàm solida amicitia animum sapientissimi viri Petri Borgiæ sibi deuinxerit. Erat is Montesianæ militiæ in eo Regno clarissimæ Magister, fraterque Francisci illustrissimi Gandiæ Reguli: vtq; erat solertissimo ingenio præditus, nec minus insigni liberalitate illustris: cùm Falconis fidem, industriam, integritatem animi maximis in rebus expertus esset, tum summo cum honore in collegium Montesianum cooptauit, & vertente tempore honoratissimo stipendio cumulauit (commendam Hispani dicunt). Erat hæc in oppido Perpuciente sita. Ad Regem semel atq; iterum pergens de grauissimis rebus disceptaturus eum secum duxit, omniumq; consiliorum suorum participem fecit. Oranum etiam in Africam traiecit, quò à Rege missus est munitissimi illius propugnaculi imperator destinatus. In omnibus ità hominis prudentiam, constantiam,
grau-

grauitatem admirabatur, vt nihil in otio, nihil in negotio Falcone inconsulto ageret. Interim Falcò nunquam libros deponere, præsertim Poëtas, semper aliquid meditari: nunc epigramma, nunc hymnum pangere: partem etiam noctibus furari, quam in diem transcriberet, literisq; impenderet. Per id tempus libros Georgicorum Virgilij imitaturus compendiariam Ethicorum Aristotelis descriptionem aggressus est (iocundissimum opus, si vt proposuit, absolueret, tantòq; Georgicis vtilius, quantò animorum cultus agriculturæ præstat). Præcipuus eius labor fuit opus epicum texere, quo Hispanorum facta celebraret. Sæpius dicentem audiui solos poëtarum nomine dignos esse, qui opus epicum componere auderent: idq; in expositione Artis poëticæ planè affirmat. Mirum est, quàm intenta opera huic se meditationi addixit. Platonis, Aristotelis, Horatij libros de arte poëtica sæpius reuoluit, & enucleauit, Græcas literas tentauit, vt sensa Ho-

meri, quem latinè legerat penitus inuestigaret. Cùm multa iam animo concepisset, instar pictoris lineas primas trahentis fundamenta iacere incepit, constructionem operis formare, partes nunc posteriores ità pertractare; vt facile fiat legentibus conijcere ex fragmentis, quæ inter libros annumeramus Falconem cum primis antiquitatis viris æmulationem assumpsisse. Ab vtroq; opere feliciter absoluendo variæ hominem occupationes retardarunt, quibus à Mœcenate Borgia ferè semper implicabatur, cùm sua nunquam commoda amicitiæ officijs anteponeret. Quod magis doleo, non pauca vtriusq; operis periere membra, quæ sanè studiosos delectarent, Autori gloriam parerent. Nunquam minus appetentem gloriæ Poëtam Apollinis scholæ protulerunt. Vbi nouum partum mens illa conceperat, protinus iniquus pater non vmbilicis inauratis, non minio distinctis; sed vilibus chartis, vel epistolæ dorso commendabat; vel in calce libri
cuiusuis

cuiusuis exponebat. Vnde illum amici eisdem versibus plerunq; compellarunt, quibus Sibyllam Æneas apud Virgilium: folijs tantum ne carmina manda, ne turbata volent rapidis ludibria ventis. Certum est, nisi per amicos stetisset, uix potuisse conflari paruulum hoc volumen: quod tamen in duplum excresceret, si omnia eius scripta extarent: vel ipse rebus suis eo amore indulgeret, quo multi indocti Narcissi suas admirantur. Ego quidem plura ab amicis accepi: non pauca meo labore, & industria veluti aucupio collegi, quę vel in discrimine pereundi, vel mutandi patris versabantur. Postquam Borgia à publicis muneribus obeundis ad otium, & quietem se conuertit iam senescente ætate: ipse etiam qui pari annorum passu Mœcenatem suum sequebatur, in vrbem patriam se recepit. Ibi cum amicis conuersari, animum omnibus pietatis officijs excolere, à Musis tamen nunquam recedere. Eo nos prorsus tempore hominem nouimus. Valen-

tiam veni anno á partu Virginis septuagesimo septimo suprà millesimũ,& quingentesimum.Hanc mihi sedem elegeram agitandæ redemptionis nostræ,& fratris: qui in Melitensi triremi aduersa tempestate penè euersa a piratis ad Sardiniam capti, Algeriumq; in Africam traiecti: cum Prætore barbaro conueneramus, vt ego in patriam dimmitterer cum statuto pretio libertatis vtriusq; rediturus. Cùm vrbem adijssem, nihil mihi potius fuit, quàm vt Falconem conuenirem, cuius fama omnes Regni illius sinus peragrabat.Conueni,audiui,amaui. Minor enim erat fama homine ipso.Duobus annis, vt patrem colui, vt magistrum veneratus sum. Vtraq; ille officia, & patris, & magistri indulgentissimè præstitit. Inter alia Artem Poëticam Horatij mihi sedulò explanauit,eademq; ipsa scholia dictauit,quæ his libris subiunximus. Ad studia literarum penè iam Musarum oblitum excitauit, languentem ad Poësim impulit, & quasi futuri prçsagus omnibus me

amicitiæ vinculis obſtrinxit. Fatigabatur tunc grauiſsima Geometriæ parte. Cùm non ſolùm res magnas ſuſcipere, ſed vehemẽter arduas plenaſq; laborum à mente indefeſſa cogeretur. Impoſuerat ſibi circuli Quadraturam inuenire. In quod ſtudium tanta animi contentione incubuit, vt ſaluti eius ab amicis omnibus timeretur. Noctes integras inſomnes agere, ſæpius cænæ, ſæpius ſui eſſe immemorem, vigilantem, & dormientem inter circinos, & lineas verſari, aliquando non firmæ mentis videri. Fama eſt operis magnitudine deterritum voluiſſe ſe tam graui oneri ſubducere, in eamq; mentem auxilium Dei, hominumq; religione inſignium inuocaſſe: contracto tamen habitu aſſuetudine meditandi nullo modo potuiſſe curam exuere. Sed de his latiùs agemus in ipſis Geometriæ commentarijs, quæ propediem edituri ſumus, vbi Quadraturas circuli pluribus modis feliciter tentatas exibebimus. Id tantùm in amici commendationem addam, quod

refert Arnoldus Vnion Belga in eo opere, cui nomen dedit Lignum vitæ, tomo 2. cap. 40. pag. 2. Frater Iacobus Falco Hispanus Valentinus Ordinis Mõtesiæ miles admirabilis ingenij vir. Quod enim antè ignotum suo nobis manifestauit ingenio; paucis nempe ab hinc annis Quadraturam circuli nouiter adinuenit, & de ea insignem tractatum scripsit qui excussus est Antuerpiæ apud Ioannem Bellerum anno 1591. Hæc ille. Cùm Falco his curis tam grauiter vrgeretur, nullo modo ad humaniora studia reuocari potuit; cum iam abundaret otio, vel ad incoata opera perficienda, vel imperfecta saltem expolienda. Ideò multa hic imperfecta, multa inornata damus, aliqua minus correcta: quæ vos boni consulturos speramus, præsertim cùm intellexeritis quo casu, qua fortuna hæc penè iam extincta monumenta è tenebris in lucem venerint. Animam egerat Falco extra patriam. Dispersa erant eius scripta inter multorum manus. Plura Valentiæ habe-

habebat Franciscus Bencitus vir nobilitate, & religione clarus; illa, vt erat Falconis amicissimus memoriæ tradere summopere optabat. Aduersabantur aliqui leuibus quidem de caußis, partim viri graues, partim grammatici; haud scio, an gloriæ suæ, & patriæ, an Falconis inuidentiores. Ità ingrata Patria scripta vita dignissima cum Autore suo sepeliebat; & honore fraudabat non eos solùm, qui in hoc libro laudantur, sed qui in Satyris accusantur. Scitè meo iudicio Hetruscus quidam, pluris, inquit, facerem à Dante Aligerio grauissimo illo poëmate Inferis assignari, quàm ipsius Hetruriæ Reguli opibus, copijs, dignitate frui. Magnifica verò vox, & homine Romano digna. Si enim impius ille Dianæ Ephesinæ hostis, vel per incendia nominis famam quærere non dubitauit; quantò gloriosius immortalitatem sibi vendicabunt illi, quorum nomina ab homine sapientissimo leuiter ioco perstricta æternùm victuris carminibus posteritati com-

mendantur. Nouus casus litem direm it. Almadæ in Lusitania agebam: qui locus Vlysiponi imminet breui freto interfluente Tago saluber cœlo, fontibus exuberans, Musarum otijs commodissimus. Vita erat curis libera, & penè rustica, præterquam quòd præfecturam mihi imposuerat Rex septingentorum peditum, equitum fermè centum, qui nobis ad signa, si quando res postulabat, præstò erant. Affuerunt Gubernatores Regni Curiam Almadam transferentes, Ædes oppidi sibi in hospitium distribuunt. Cùm plures, nec incommodæ superessent, meas etiam sibi postulant: quæ postulatio iniqui plena imperij contra morem patrium, & maiorum instituta, Regúmq; leges mitissimas satis indicabat, noua illos veteris in me offensæ recordatione, iamdiu compressum odij virus opportunè euomere, nequaquam in memoriam reuocantes, dedecere Principes viros, quales ij essent, in priuatam vindictam potentia publici magistratus
 abuti.

abuti. Cùm vehementer animo commotus essem, noua, & inaudita Metamorphosis indignantes parietes iniuriæ subduxit: in fumum, & cineres abiere. Ad Regem deinde Mantuam Carpentanorum festino, Regem Indulgentia in nostros, æquitate in omnes Lusitanorum Regum verè successorem. Ità quinqueuiratus ille inuidiam sibi non leuem conflauit, mihi inopinatum exilium peperit, Falconi gloriam attulit. Vbi Mantuam veni, nihil potius duxi, quàm vt amici memoriam consecrarem. Scripta ex omni parte collegi, disposui, in libros distribui, laborem ingentem suscepi. Ità erant omnia dispersa, & inuoluta, & sibi dissidentia. Multum mihi addidit animi Comes Ficalij Ioannes Borgia Mariæ Imperatricis domus Præfectus, Magistri nepos ex fratre vir grauissimus, cuius extant monumenta doctrinæ, & eruditionis plena. Multùm acuit venerabilis Thomas Malacensis Episcopus Magistri frater. Non parum attulit adiumenti Be-

 neitus,

neitus, qui à Falcone hæres ex testamento nuncupatus, scripta omnia, quæ potuit tam Poëtica, quàm Geometrica colligere, diligenterq; ad me mittere curauit. Vixit Falco annos duos, & septuaginta. Obijt Mantuæ Carpentanorum in templum Societatis Iesu tumulo receptus anno 1594. Ad extremum vsq; spiritum, cùm per occupationes licebat, studijs vacauit. Cœlibem vitam perpetuò egit. Amicos officiosissimè coluit. Qua etiam de causa extra patriam diem clausit; cum septuagenarius non dubitaret Mœcenatis sui vita iam defuncti causa curiam adire, Regem conuenire, & de amici rebus constantissimè agere. Constans est fama Regem sapientissimum hominis constantiam admiratum Regio oraculo collaudasse: nullum se in tota Republica meliorem Falcone hominem habere. De immortalitate animorum, de solutione naturæ, vbicunq; occurrebat, auidè, & iocundè disputabat acerrimus immortalitatis demonstrator: quippe cui omnia

bona

bona in morte sita esse iudicanti proprium pondus animi solertiam acuebat. Cum ad me scriberet, hæc fermè fuere verba; de communibus amicis, vt scribam, oras; Gombaum scito fatis concessisse: paucis post diebus Christophorum. Clemens in Maioricam missus est, in Sardiniam Moncada, ambo magistratum acturi; verùm si mihi credis, meliùs cum mortuis actum esse opinor. Hæc ille. Plures in Falcone virtutes excelluere comitas, liberalitas, continentia, laborum tolerantia, contemptio fortunæ. Ea fuit modestia, vt cùm ad vnum vniuersa Ordinis Montesiani administratio deferretur, Præfectus à Rege ipso loco ac nomine Regio nuncupatus, tanto se honore dignũ constanter negaret: nec prius Prouinciã susciperet, quàm vi Regij Imperij compulsus est. Ne plura dicam, ita pium se in omnibus, ita Philosophum gesſit, vt Christianum Platonem posses dicere. Talis vobis hominis, studiosi Lectores, lucubrationes offero: vaticiniumq; non

Delphi-

Delphicum, ſed verum præcino, nemini quidem, qui virtutis via inſiſtat, & memoria digna conetur, de futurum, qui laudes eius celebret, nomenque poſteris mandet.

Valete.



DE

DE CLARISSIMO HVIVS OPERIS AVCTORE,

Hyacinthi Rochæ I. V. D. Magiſtri Accentus almæ Eccleſiæ Barcinonen.

EPIGRAM.

EXimium vatē ſiquis probat eſſe Maronem:
Eſſe probat nitidam, ſole micante, diem.
Et mihi iā fruſtrà tollatur carmine vates,
Qui verè, vt Falco prēminet inter aues.
Traditur Ouidius Muſarū lacte nutritus,
Mellaq; Virgilio Calliopeia dedit:
At noſtrum ſacro lactatum rore Poëtam,
Carminis egregij docta fluenta docēt.
Huic igitur meritę, totidem ſua carmina, laudes
Dentur, & artificē nobile narret opus.


INDEX

INDEX EORVM QVÆ HOC VOLVmine continentur.

QVÆ

QVÆ TYPOGRAPHORUM INCURIA EXCIDERUNT, SIC CORRIGITO.

FOL. 3.p.2.l.penult.Hebrææ fo.7.p.2.li.22.funere. fol.8.p.2.li.15.occurretq; fol.10.p.2. li.21. supellex. fol.12.p.1.li.23.vrna.fol.14.p.2.li.22.omni.fol.16.p.1. li.8.quod.li.9.mœste.fol.17.p.2.li.5.pondera.fol.18.p.1. li.1.faciatis.fo.19.p.1.l.5.sentite.fo.21.p.2.li.7.tumulũ. li.9.fauni.fol.22.p.2.li.10.desuper.fol.30.p.1.li.6. Fertilis,lege vrget.fol.31.p.2.li.3.ponas. fol.38. p.1. li.21. Mauors.fol.58.p.2.li.3.solum.fol.62.p.2. li.24. hostis. fol.63.p 2.li.3.confugiet.fol.73. p.2. li.penult. calce.li. vlt.In.fol.80.p.1.li.11.irrisio.li.12.firmior. fol.81. p. 1. li.14.precantur.fol.83.p.2.li.4. domantur. fol.85. p.2. li.19.litterulis.li.25.pectore. fol.86.p.1.li.3. veniet.fol. 87.p.2.l.penul.alias.l.vlt.redibit. fo.88.p.2.l.pen.profecta est.fol 95.p.1.li.24.Hispana. li.26. Mexica. p.2. li.5.hic.fol.96.p.2.li.23.patrem.fol.99.p.1.li.14.parte. fol.104.p.1.li.15.periclum.fol.105.p.1. li.19. hic. li.24. patrem.fol.108.p.2.li.25.desinat.fol.112.p.2. li.7. constans.fol.117.p.1.li.14.difficilior.fol.122.p.1.li.vlt.triẽs. p.2.li.12.redit.



OPERVM POETICORVM IACOBI FALCONIS VALENTINI.

LIBER. I.

EPIGRAMMATA,

De Christo in Triumpho Palmarum.

I.



VM Patris æterni soboles æterna subiret
Isacidûm muros, vt moreretur homo:
Spiritus afflauit diuini Regis amorem,
Impleuit Solymos, & pietate viros.
Altera pars ramos, pars altera sternit amictus,
Læta canunt iuuenes carmina, læta senes.
Quæ Deus insolito celat mysteria cultu?
Cur noua funesto tempore pompa placet?

Dissimulat festo mortem, quò Dæmona fallat,
Vipera clàm vicit, clàm superanda fuit.

De effigie Christi Regis illusi.

II.

R*EX ego sum cæli, sed qualem gesto coronam?*
Circuit immitis tempora nostra rubus.
Purpura quæ Reges ornat, mihi dedecus affert,
Atq; iterum nostro tincta cruore rubet.
Pro sceptro insigni vilis donatur arundo,
Sed prius in nostrum fracta refracta caput.
Hæc sunt, magne Pater, nostræ præludia mortis,
Hei mihi, cùm duræ venerit hora crucis.

Ad Christum.

III.

S*Pes mihi magna subit, cùm te mitissime Christe,*
Spes mihi, respicio cùm mea facta, cadit.
Spes abit. atq; redit, cùm cerno facta duorum.
Cùm tua iure venit, cùm mea, iure fugit.
In diuersa trahor, tua me clementia cœlo
Erigit, ad manes conscia culpa premit.
Spes me magna tenet, cùm sis tam mitis in omnes,
Cum sim tam prauus, spes mihi nulla manet.

* Ad Virginem Mariam de Refugio *
IIII.

CVm genitrix, cum sponsa Dei, cum filia dicar,
Cur quoq; confugium me pia turba vocas?
Cum primum genita es, feliciq; edita partu
Ad te confugit pulsus ab orbe pudor.
Vipera cum victrix hominem prohiberet olympo,
Ad te confugit victus & exul homo.
Cum Deus humana vestitus carne pependit
Ad te confugit ferè relicta fides.
Salua fides, seruatus homo, pudor orbe receptus,
Confugij nomen iure dedere tibi.

* De eadem Beatissima Virgine quærente puerum Iesum.
V.

DVM puer Isacidas genus immortale tonantis,
Inclusus templo dogmata sancta dabat,
Ter reuoluta dies Phebæa luce refulsit
Ter vaga Titanos vmbra fugauit equos.
Tristior interea genitrix Iessia Virgo
Æthera turbabat questibus, imbre genas.
Quid Deus occultat? cur hæc mysteria tentat?
Cur patitur natus quod gemat ægra parens?
Nempe illam voluit triduano asuescere luctu
Cum totidem luces orba futura foret.

De Carolo Quinto Imperatore.
V I.

Cùm modò ad Hesperias remearet Carolus oras,
Et quateret reduces littoris vnda rates.
Lætitia exultans caput extulit alta Pyrene,
Dixit & á summo vertice, Roma veni.
Inde tuens altis surgentem collibus Hemum,
Intonuit rursum, Thracia terra veni.
Tùm mare prospiciens, vbi desinit altus Oaxes,
Clamauit simili murmure, Creta veni.
Ostendam vobis Regem, quem iure putabis
Roma Numam, Martem Thracia, Creta Iouem.

In tumulum Caroli Quinti Imp.
V.II.

Parcite mortales nudos iam reddere montes,
Et Carolo tantas ædificare pyras.
Sit labor artificum solas ostendere palmas
Cæsaris, & tumulus Cæsare dignus erit.
Prima triumphato stupefiat Gallia Rege,
Procumbat supplex Cæsaris ante pedes.
Ad dextrum stet Roma latus, Carthago sinistrum,
Altera capta tuis, altera capta tibi.
Sint alibi Turcæ vertentes signa retrorsum,
Et iam iam pereant, ni ferat Ister opem.

Ante

Ante Deos iaceant exuti Saxones armis,
Cædeq; terribili decolor Albis eat.
Parte alia Alcidem sistat sua meta, tibiq;
Terra suos fines augeat, vnda suos.
Vltima de seipso victoria magna sequatur,
Sitq; aliter magnus, qui modò magnus erat.
His ita compositis crescent miracula mundi:
Octauum Caroli nobile funus erit.

Ad Philippum Secundum Hispan. Regem. VIII.

NOna dies agitur, postquã tua classis in alto est,
Nec tua Carolides vela videmus adhuc.
Quæ rogo te reducem tardat mora? Nunquid in vndis
Candida amatorem Tethyos ora tenent?
Num tibi Neptunus præbet spectacula ponto
Ostentans vasti squammea monstra freti?
Num monitu patris salsis in fluctibus hæres,
Alter vt in terris imperet, alter aquis?
Quid rear vlterius? Nunquid tua regia puppis
Numine plena tuo tarda grauisq; venit?
Quicquid id est, abrumpe moras: ni protinus adsis,
Transcribent populi tecta laresq; mari.

Ad eundem. VIIII.

AVstria Rex hominũ, cui mundus paret vterq;,
Cur tibi Vulcanus fulmina tanta parat?

Cur tibi Cantabricos ferrum conflatur in enses?
Cur abit in celeres pinus Ibera rates?
Quid sibi vult tantus peditumq;, equitũq; tumultus?
Quid sibi tot raucæ per tua regna tubæ?
Bella paras? Cui bella paras? Quis tantus, vt hostis
Sit tuus, atq; istas cogat in arma manus?
Vt tibi sint hostes reddat natura Gigantes.
Nam secus armatum non decet esse Iouem.

De æde Diui Laurentij.

X.

REX fama magnus, maior virtute Philippus
Armatus quōdam tam magnam vouerat ædē.
Quam magnum nomen victo portasset ab hoste.
Vicit Gallorum Regem, compescuit Arcton,
Aeternam fecit commisto sanguine pacem.
Magni ergo voti damnatus iudice mundo
Hanc posuit molem, cui magnas addidit aras,
Adiecitq; aris splendorem totius orbis.
Inter tot gemmas, auri inter pondera tanta
Multos mortales iunxit, pauperrima corda,
Excelsas mentes, viua exemplaria Diuũm.
Extra non cernes templum, sed veriùs vrbem.
Intus non vrbem, sed vero nomine cœlum.

De eadem Carmen retrogradum.

XI.

HEbræa gentis templum sit diues & ingens,
Ortus & occasus certatim extollat vtrunq;,

Agnos

Agnos illius vinco, vinco illius aras,
Quadratisq; adytis contendo, opibusq; sacratis.
Autor id incepit, gentem cùm vicit atrocem,
Repressitq; animos Henrici aciésq; refregit.
Autor id instabat, classem cùm mersit Eoam,
Supremosq; homines Turcarum, altosq; Tetrarchas.

De eodem templo. Legitur primis caracteribus Philippus Austria.
XII.

PRincipis Henrici iurabat lecta iuuentus,
Profligare polum vociferante sono.
Audiui, veni, superaui, tollo recentem
Inde aram, autorem nobile narrat opus.

De eodem.
XIII.

HOC opus immensum, quod tantũ suspicis hospes,
Ne dubita, humanæ constituere manus.
Prima Dei sedes cœlum est, hanc pone secundam:
In terris tantam non habet ille domum.

Ad Philippum Secundum Regem Hisp.
XIIII.

VIcit Alexander Persas, sed constitit illic.
Vix Indum vidit filius ille Iouis.

Roma caput mundi fertur vicisse Britannos,
Nec plus progressa est Cæsariana manus.
Tu magis ambobus profers vexilla Philippe,
Nulla magis claret, quàm tua magna domus,
Sol cadat, aut surgat, semper tua regna pererrat.
Magna, minorvè dies per tua sceptra venit.
Vt sit in orbe locus, metas vbi figere possis,
Terra suos fines augeat, vnda suos.

Comparatio vitæ & anni.
XV.

V E R *caput est anni, vita pars prima Iuuentus.*
Vtrunq; tempus humidum.
Frugifera est Æstas, animus dat multa Virilis.
Vtrunq; tempus igneum.
Albicat Autumnus, canescit grandior ætas.
Vtrunq; tempus aridum.
Claudit Hyems annum, spatium vitale Senectus.
Vtrunq; tempus horridum.

De Templo Diui Laurentij.
XVI.

O *Tu qui palles hac visa mole viator,*
Ingredere vlterius, plusq; stupebis opus.
Autorem taceo, nam si tibi dixero nomen,
Illico rem tantam senseris esse nihil.

De

De eodem.
XVII.

QVis hanc sacrauit inclyto Deo domum?
Philippus ille, cuius est negotium
Deus, boniq; cura. Regnum vterq; Sol.

De loco vbi sacratissimum Christi corpus seruatur.
XVIII.

QVid hoc laboris? Annè cœlitum chorus
Manu expolinit hanc Dei domunculam?

De diuo Paulo.
XVIIII.

IN Iesu Paulus cernebat corpus, & idem
Nouerat expertem corporis esse Deum,
Ergo diuini nil concedebat Iesu,
Nilq; Deo humani, factus vtriq; reus.
Sed postquam in Christo naturam agnouit vtramq;
Diuino cæcus lumine, plusq; videns,
Tunc veniam errori submissa mente petebat
Admirans nostræ grande salutis opus.
O mens alta Dei! Pugnarunt iudice Christo,
Hinc amor, hinc odium: sed superauit amor.

De Christi vita Carmen retrogradum. XX.

Athleta æternus cupiens certamen inire,
Limboq; auferre Heroas, inferreque cœlo.
Algens & nudus terrenas venit ad oras.
Magorum sermo crudelem mouit Herodem.
Iras illius fugerunt mater & infans.
Vtrunque excepit venientem Ægyptus aprica.
Eisdem præbebat victum comes arte fabrili.
Anguis hic antiquus peccati hortator & autor
Atra ter arma mouet, frangit Deus illa ter arma.
Hebrææ gentis primores Caiphas, & Annas
Iesu admirantur facta, execrantur Iesum,
Fraudeque tentare statuunt, punireq; morte.
Alta cor ira coquit, facinus mandatur Iudæ.
Hortum vt deuenit, patris mandata retractat,
Iudæ monstratur signis, & præda fit hosti.
Iuit ad Herodem vinctus, silet ante Tetrarcham.
Regresso turba illudit Prætoris in æde,
Sceptraq; ludicra imponunt, spinosaq; serta.
Hetruscus rector placabat vulgus & iras.
Reclamant crucifige illum, crucifige reclamant.
Insons & iustus damnatur morte latronis,
Latronesque inter mortem Rex sensit atrocem.
Omnes perq; oras Iudææ, omnesq; per vrbes
Petrarum sonuere ictus, ac terra libratur.
Eclipsim passus nullam Sol porrò nigrescit.
Orcum vt deuenit, portas & claustra refregit.

Secretosq;

Secretosq; Patres Stygio ducebat ab antro.
Eoum lumen spargebat manè bis ortum,
Reflabatque vmbris albis Aurora quadrigis,
Reclusit quando monumentum, & funebre saxum,
Reiectisq; armis hostes fugere retrorsum.
Sacratosque artus iungens, animamque sacratam
Alta per astra volat victor, volat alta per astra.

De conuersione Diui Pauli.

XXI.

A*Lta, profunda, ingens diuinæ opulentia mentis,*
Quis nouit veras ad tua regna vias?
Id tali in Paulo, taliq; errore videmus.
Mens tam praua priùs, quàm citò versa fuit.
Te quia quærebat, quamuis non tramite recto,
Ipse regis gressus: obuius ergo venit.
Mente bona motus vas illum nobile reddis.
Diuinam sapiunt munera tanta manum.

De templo Diui Laurentij.

XXII.

Q*Vid hoc? Trophæum. Cui sacrum? Laurentio.*
Quid maius? Autor. Quis precor? Rex maximus
Quis hic? Philippus. Quis Philippus? Austria,
Quotus? Secundus, Quis domo? Augustissimus.

Qua matre? Isabella. Quo patre? Carolo.
Quæ causa? Vicit. Quos virûm? Fortissimos.
Quos quæso? Gallos. Quas ad oras? Belgicas.
Qua gente? Ibera. Quas ad arces? Quintini.
Quo Marte? Iusto. Quo periclo? Maximo.
Quo mense? Sexto. Quo die? Laurentij.

De miseria hominis. XXIII.

QVid est homo? Prius lutum,
Statim puer, repentè vir,
Citò senex, breui cinis,
De hinc nihil, merum nihil.

De dignitate hominis. XXIIII.

QVid est, nisi nouum genus?
Sui capax, in orbe Rex,
Soli hospes, hæres ætheris,
Dei domus, minor Deus.

De paritate, & imparitate vitæ. XXV.

RVsticus, & Princeps opera generantur eadem.
Omnes ergò sumus ventris in orbe pares.

Seruus

Seruus vt in lucem nudus, sic Rex quoq; prodit.
Omnes ergò sumus vita ineunte pares.
Putrescunt inopis, putrescunt diuitis artus.
Omnes ergò sumus iudice morte pares.
Gignimur, exorimur, morimur discrimine nullo,
Sed nos sors impar non sinit esse pares.

Descriptio Montis Serrati. XXVI.

EST locus insignis fama, quem nomine Montem
Serratum appellant: medio est immanis hiatus,
Qui, si littoreas intra se clauderet vndas,
Ingens portus erat, tantumque admitteret Euros.
Ipse sinus pulcrum latè curuatur in arcum.
Nec structura rudis, saxa omnia secta videntur,
Miranturq; oculi formam. Stant ordine longo
Pyramides centum, iunctæque per æthera surgunt
Ad sanctas sedes, vbi vita sponte relicta,
Pauci mortales hominum commercia vitant,
Et sparsi iuga sola colunt, Christi aspera membra,
Gens nata ad cœlum, viua exemplaria diuûm.
Sunt alij Patres infra, qui dispare viuunt
Sorte parique animo. Deus illos iunxit in vnum
Corpus amore suo, atque vnam conclusit in ædem:
Quæ iacet in cubito montis, medioq; locatur
Inter radicem montis, summumque cacumen,
Hospitibusque patet semper, fluit vndiq; turba

Matres,

Matres, atque viri, seu Belgæ, siue Britanni,
Siue Itali, seu Germani, seu denique Galli.
Quos bonus Antistes sancto amplexatur amore,
Datque manu larga quæ vitæ postulat vsus,
Tres de more dies, nullo discrimine sortis.
Quisquis adest horret, sacrumque attingere limen.
Non audent pedibus, genibus gradiuntur ad aram.
Hic est effigies, quam tradit sancta vetustas
Cœlitus inuentam. Plena est horroris imago,
Orbeque iam toto propter miracula claret.
Mos vetus est illic insomnes ducere noctes,
Effusosque solo diuinam exposcere pacem.
Expedit in primis vitæ meminisse prioris,
Et scelus admissum sacras deponere ad aures,
Et libare Deo cœlestis crustula panis.
Tum memores voti, sua templo munera figunt.
Qualia cernuntur per totum pendula tectum.
Pendent à tignis varia argumenta salutis:
Seruatæ ex vndis naues, fractæque catenæ,
Velaq; nautarum, simulacraq; cerea rerum,
Pendent votiuæ loca per diuersa tabellæ:
In quibus hi morbis, vicino hi funer languent,
Hi rapidis merguntur aquis, hos corripit ignis,
Hunc rota sopitum frangit, volat ille per auras.
Præceps ad terram, vis illum fulguris afflat.
Omnes hi Diuam per sancta mente rogarunt
Rebus in extremis: tulit omnibus illa fauorem,
Cumq; infante suo, cumq; hac apparuit æde.

Nec

Nec solùm hoc alij testantur, sed quoq; Patres
Extra se rapti, & defuncto in corpore viui
Aiunt se vidisse Deam, cùm ritè vocata
Itq; redit q; viam, nec abest altaribus vnquàm.
Inde chori reboant, nec mane, aut vespere cessant
Alternare preces, atq; hymnos pangere Christo.
Tùm laudes & facta canunt, ingentia facta
Virginis & Matris. Salue antiquissima proles,
Anteq; quàm fieres tot decantata Prophetis:
Te solam primi non infecere parentes
Labe sua, iurisq; sui non fecit Auernus.
Te Deus optauit Matrem, tibi venit ab astris
Nuntius hæc portans, tu concipis integra, tuq;
Incorrupta paris, de te vnà filius exit
Bis genitus, tibi se Numen cœleste subegit
In terris tu Cœlorum regina vocaris.
Te propter mors nostra perit, te propter habemus
Hospitium in cœlo, per te seruamur ab Orco,
Inque dies crescit Serrati gloria Montis.

* Ad Reginam Lusitanorum Catharinam. XXVII.

IN laudes Reginà tuas dum numina certant,
Iuppiter in cœlo prælia magna timet.
Nam Venus egregiam formam super omnia laudat,
Ingenium pluris sacra Thalia facit:
Ingenio præfert mores Diana pudicos,
Moribus artifices docta Minerua manus.

At

At Iuno imprimis regnandi suspicit artem
Vxoriq; suæ Iuppiter ipse fauet.
O fœlix nimium fœlix Augusta propago,
In cuius laudes numina cuncta vacant.

Ad Excell. Calabriæ Ducem hyeme venatum euntem.

XXVIII.

DVx decus Hesperiæ Calabrum mitissime Princeps
Cur petitur tali tempore sylua tibi?
Nonne vides quantis nigrescant sydera nimbis?
Nonne vides quali palleat ore dies?
Iam nemus horrescit, quantum non horreat vnquam
Qua riget Arctoo parrhasis vrsa gelu.
Si mauis ipsi venient ad vulnera cerui,
Occuretq. tibi traijciendus aper.
Non adeò natura feris animalibus obstat,
Vt non exoptent te feriente mori.

De breuitate vitæ.

XXVIIII.

VIta fit ex annis, annus de mensibus exit,
Dant mensem hebdomades, hebdomadeq. dies.
Componuntq. diem spatijs fugientibus horæ.
Horam distingunt puncta, breuesq. moræ.
Nulla igitur parui pereant momenta diei:
Nam tibi vita perit, cùm breuis hora perit.

Ad

Ad Posthumum.

XXX.

CAnescis nunquam, cùm sit tibi Nestoris ætas,
Posthume, natura plus tua cura potest.

De morte, & amore.

XXXI.

MOrs & Amor paruo aut nullo discrimine distant.
Mors vtroq. caret lumine, cæc Amor.
Ambo nocent, neuter lachrymis, precibusuè mouetur.
Despicit ingentes alter, & alter opes.
Qui moritur pallet, pallet quoque tristis amator
Tristè gemit moriens, tristè gemiscit amans.
Mors moritur nunquam, viuit sine fine Cupido.
Spicula mors gestat, spicula gestat amor
Hoc vno discrimen habent: mors parcit Olympo.
Filius at Veneris de Ioue fecit auem.

De Vespertilione Iacobi I. Aragonum Regis.

XXXII.

HOC anceps animal, quod mistũ dispare formæ
Parte refert murem, parteque reddit auem.
Aeris & terræ noua natio, vespetis ales,
A vespertino tempore nomen habens.

Quis credat, multis virtutem rebus adumbret?
Et sua mirando temperet acta modo?
Ponit enim nidos, nec summa, aut infima quærit,
Sed media fœtus in regione locat.
Noctis item tenebras, & lumina clara diei,
Tanquam extrema sibi perniciosa fugit.
Sed dubium expectans tempus cum vespere prodit,
Qui medius noctem diuidit, atque diem.
Nec nocet agricolis aliarum more volucrum,
Nec solet, vt mures, depopulare penum.
Imò malos culices vltrici deuorat ore,
Vtque vigil circa tecta, domosque volat.
Dumque volat, natos pendentes vbera lactant,
Quæ pietas nobis esse magistra potest.
Hinc fuit hoc animal prudenti insigne Iacobo,
Quadrupedemque tulit regia cassis auem.
Ire Valentinos cùm decreuisset in Afros,
Subdereque antiquo barbara colla iugo,
Venit, pugnauit, vicit discrimine paruo.
Libertas vrbi redditur, vrbsque Deo.
Neuè ingrata foret pulsis gens libera Mauris,
Victrisque foret tempus in omne memor;
Instituit Regi Dionysia festa quotannis:
Laudanturque illo regia facta die.
Fertque magistratus signum regale per vrbem,
Armatique homines, purpureique patres.
Inde Valentinis alati muris imago
Permanet insignis, & quoque regis amor.

In Othonem.

XXXIII.

POstquam infaustus Otho ludo rem perdidit omnẽ
Et penitus totas alea sorpsit opes:
In ludum nunc scribit opus, sed inutile. Quare?
Vult etiam in ludo perdere tempus Otho.

Ad Ludouicum Perezium Medicum.

XXXIIII.

SEX tibi montanas mitto, Lodoice palumbes.
Tu tamen expectas aurea dona dari
Æra tibi mittant alij, qui mittere possunt.
Nil tibi Falco potest mittere præter aues.

In Causidicos de obitu Petri Borgiæ Montesiani Magistri.

XXXV.

HEu heu litigia execrabar olim,
Et de causidicis bonis, malisque
Scripsi nescio quid leue, & iocosum.
Sed multos iocus vlcerasse fertur,
Et supercilium noto in quibusdam.
Nam tunc insipiens nihil timebam
Iuris vafriciem, forique pugnas,
Cum lis nulla mihi foret, nec vnquam

Sperassem fore. Sic ego putabam.
Sed visum est aliter Deo Deorum.
Vir princeps obit, vltimus Magister
Nostræ militiæ, & mihi colendus
Viuus mortuus, & per omne tempus.
Petrus Borgia, Gandiæ propago.
Leguntur tabulæ, in quibus iubebat
Hæredem esse animam: illiusque curam
Legauit mihi iam seni recocto.
Sed illam accipio, & statim cadauer
Ad suos rediit minore sumptu,
Quam sors illius alta postulabat.
Fiunt exequiæ die sequenti
Sine æris sonitu, sine apparatu:
Vt nummis ita parcerem, & mihi esset
Vnde debita soluerem, & leuare
Grauatum ære alieno, ea arte possem
Saltem parte aliqua. Dolet referre
Illius miseram, grauemque sortem.
Nam, præter duo millia aureorum,
As totum fuit, elegans suppellex
Pulcra scilicet arma, pulcri amictus,
Vasa argentea, serici tapetes,
Aulæa, effigies, equi, atque currus,
Et pelles gelida petitæ ab Vrsa.
Nec non res aliæ pretii minoris.
Hæc apud populum duosque scribas
Vendidit bona publicus coactor,

Scribuntur pretia,& locantur illic,
Reponuntur vbi æra ciuitatis,
Ne fraudi locus esset in futurum.
Ex hac funerea dehinc moneta
Suas soluo stipes viris honestis,
Mercedesque alias,libro iubente,
In quo erat ratio domesticorum.
Trado quod superest & his,& illis,
Qui rem crediderant suam sepulto.
Sed non sat fuit illa summa cunctis.
Reclamant vacui,diemque dicunt.
Quò fit,vt modo litigare cogar.
Tota implet fora turba creditorum,
Vnus nominibus petor trecentis.
Nullum lite mea vacat tribunal,
Nec fidum inuenio mihi patronum.
Cuncti puluereos libros reuoluunt,
In me omnes iaciunt nigrum venenum;
Et scribæ à pharetris suis acutos
Depromunt calamos,parantque cultros,
Vt sint auxilio suis gemellis.
Heu heu quid faciam? Petam nè supplex
Ab illis veniam? An magis recanto?
Recanto potiùs. Viri beati,
Magni signiferi ducesque iuris,
Aures arrigite ad nouos honores,
Vestra est ante alias potens facultas,
Cum hac scientia nulla comparanda,

Nullis insidias facit crumenis,
Nec glutit bona cuncta litigantum,
Nec longas iubet inchoare lites,
Nec de iudicijs boni quæruntur,
Nec pœnas fugiunt mali potentes.
Mentiri cupio magis,magisque,
Vt vobis faciam satis:sed ecce
Dextram vociferant vades ad aurem,
Iussores fidei tenent sinistram.
Insultat mihi creditor,petitque
Sua à me bona,cùm nihil supersit.
A suo petat ille debitore,
Domosque Elysias eat petitum.
Quarè vos rogo,ne modò retorta
Detis consilia,& moras trahatis
In re tam liquida,nimisque iusta.
Hoc,inquam,rogo Bartholi per ossa,
Per Baldi cineres bonos Cometas,
Vt per vos liceat sacris tribunis,
Qui ius in solio altiore dicunt,
Meam continuò expedire causam.
Quod si pergitis esse bellicosi,
Nec pacem annuitis:malum libellum
Expectate iterum,salesque tetros.
Iam iam Pierides vocant Iambos:
Omnes vos faciam nouum Lycambem.

* * Ad Oliuerium. * *
XXXVI.

SIC Oliuere tibi post te tua fama superſit,
Et liceat longa poſteritate frui:
Sic tibi Calliope Phebæa carmina dictet
Qualia grandiloquo perſonat ore Maro:
Sic tibi fœlicem victum det mitis egeſtas,
Nox faciles ſomnos, otia grata dies:
Sic tibi frigus hyems, ardorem temperet æſtas,
Muſta det autumnus, ver ſoboleſcat apes.
Sic tibi Mars animum, mentem Tritonia præſtet
Bachus alat vites, Pan tueatur oues:
Deſine diuitibus ſpe lucri pangere verſus,
Nec velis à parca nobilitate legi.
Nam modò principibus quæcumq. poemata dentur
illa quod accipiunt largiter empta putant.

In tumultum Seraphini Comitis Oliuæ.
XXXVII.

HVNC tumulum quicunq. videt, veſtigia ſiſtat
Inclinetque ſuum terq. quaterq. caput.
Purpureas poſthæc violas, & lilia fundat,
Spargat odoriferas & ſuper oſſa roſas.
Scilicet hac parua tegitur Seraphinus in vrno
Quæ quamuis auro ſardoniciſq. caret.
Non foret æthereis pretioſior vrna ſub aſtris
Si tegeret mores marmor vt oſſa tegit.

* De se ipso. *

XXXVIII.

IRATVS nuper, quod te despectus amarem,
Lesbia, mors dixi meta laboris erit.
Et iam iamque manus in me conuerterat ensem,
Rumpendumque alto vulnere pectus erat:
Sed primum vt memini te nostro in pectore fixam,
Continui gladium, ne mihi læsa fores.

* Ad Fronticum. *

XXXIX.

EX quo vel tussis, vel te quartana fatigat,
Vel propter podagram Frontice stare nequis,
Ter secuit messor segetes, ter frigore sæuo
Frontice brumales diriguere niues
Pastilli interea, catapotia, pharmaca, clyster
Consumpsere tuas Frontice prorsus opes.
Quid faciam exclamas, quâ viuas arte requiris?
Vis dicam? fieri pharmacopola potes.

* Ad Faustinum. *

XXXX.

ANNVA cui sacris instauras funera pompis?
Quo pro patre pias fundis ab ore preces?
Natali Faustine tuo lis magna coorta est,

Nam te diuersi tres petiere patres.
Sortiti inter se cui traderet alea natum,
Sors fuit vt cuius diceris esse fores
Tu tamen esse potes non illo patre creatus,
Annua cui celebras funera sorte vide.

De obitu Marinę.
XXXXI.

HIC Marina iacet, quæ vix duo lustra peregit,
Et subito mortis vulnere rapta fuit.
Frigida mors etenim mores miserata modestos,
Et castos mores, esse putauit anum.

De pulchra facie.
XXXXII.

TRES Paris ante Deas Idæo in vertice dixit.
Cedite vos ambæ, vincit vtranque Venus.
Si tamen hanc faciem pugna vidisset in illa,
Dixisset Veneri: Tu quoque cede Venus.

Carmen difficile retrogradum.
XXXXIII.

ITE in certamen iuuenes, certamen inite.
Cypris signa dato, iam satis ora flagrant.
Hymen Orion saltet, cantabit Iulus.
Febri Teya flagro, nec flagro Teya febri.

Viginti carmina quinque carminibus contenta, sursum deorsum, & retrogradè legendo.

XXXXIIII.

Vtrinque Hebræus Turges Agrestis Vtrinque.
Hebræus Sanguis Demetrio Fossor Agrestis.
Turges Demetrio Nimium Demetrio Turges.
Agrestis Fossor Demetrio Sanguis Hebræus
Vtrinque Agrestis Turges Hebræus Vtrinque.

De Homero retrogradum à Pentametro.

XXXXV.

Innumerabilibus sæclis durabit Homerus,
Scripsit quòd numeris insuperabilibus.

De Hieronymo Zurita retrogradum eodem modo.

XXXXVI.

Ingenium & candor Zuritæ viuet opinor,
Viuet dum mundo carmen & historia.

Aliter retrogradum.

XXXXVII.

Agros Aprilis pingit, concepit vt imbrem,
Imbrem vt concepit, pingit Aprilis agros.

trox

Atrox Hebræus semper contemnit Iesum.
Iesum contemnit semper Hebræus atrox.

In Dymam.
XXXXVIII.

QVicquid tangebat miserum vertebat in aurum
Et diues, & pauper Midas.
Tu quicquid dicis vanos conuertis in vsus,
Et nanus, & Cyclops Dymas.
M.D. si mutes non tantùm pectus habebis,
Et Regis auriti caput:
Sed quoque præclaro gaudebis nomine Regis,
Tibique tonsor seruiam.

In eundem.
XXXXIX.

QVIS hunc haberet, atque amaret aduenam,
Nisi Senatus hospes, atque ciuitas
Nouis amica rebus ex origine?
Adhuc tacetis, & videtis hospitem
Scholæ imminere virgini grauissimæ,
Tot vnde magna prodiere nomina,
Per omne tempus. O magistra gentium.
Quid hac in vrbe commoraris amplius?
Eas habente copias ineptia,
Scholam regente Barbarum libidine.

At at scientia quid est potentius?
Quid est in orbe veritate fortius?
Eamus ergò, nec sinamus, obsecro,
Eum manere qui nouem sororibus
Stuprum parauit, atque tollit impudens
Libros ad astra. quos emit librarius,
Vt impolita contegat volumina:
Emit taberna, ne suis odoribus
Desint cuculli, vasculis opercula.
Nefas abire docta ab Academia,
Et ambulacra, portiusque linquere.
Quod his repugnat, arborum putamina
Putemus esse, somniique somnia.
Quis hæc venena ciuitate ab aurea
Petita credat, aureaque ab insula,
Vbi rubeta non videtur, aut Draco,
Nec ater anguis, aut virens aranea?
Abi cathedra plena pestilentiæ,
Latinitatis impudens adultera,
Vbi est vir ille, qui iacens sub arbore
Supinus hausit à Deo scientiam,
Fuitque summus omne in arte scilicet.

De Lupo, & Grue.

L.

SPina lupum angebat, grus illam à gutture vellit
Immitens collum sæua per ora lupi.

Cùm verò pactam mercedem poſceret, audit,
Ampla tibi eſt merces tantùm habuiſſe caput.
Fabula compellat ſtultum, qui præſtat iniquo
Obſequium, & facti gratia tota perit.

LIII.

De Cane.

LI.

CVM ferret canis ore cibum, videt illius vmbrã
Per ſtagnum tendens, & putat eſſe dapem.
Dum tamen os aperit prædam capturus inanem,
Vmbra fugit morſus: excidit ore cibus.

De Sis fure.

LII.

SIS hoc furis habet, nunquam recto aſpicit ore
Sis huc venit inops, hoc quoque furis habet.
Sis huc primum veniens ditiſſima tecta petiuit,
Hoc quoque furis habet.
Sis patria ignota eſt, ignoto ſanguine natus,
Hoc quoque furis habet.
Sis raro apparet manifeſta luce per vrbem,
Hoc quoque furis habet.
Sis qui dictus erat, mutauit nomen in Iſſim,
Hoc quoque furis habet.
Sis metuens Regem ſubito quæſiuit aſylum
Hoc quoque furis habet.

Plurima furis habet, non omnia, deficit vnum
Pendeat, vt par est, omnia furis habet.

* De Laurentio quodã fulmine percẽpto. *
LIII.

T*Error erat cunctis Laurens inuictus in armis*
Non alio poterat quam Iouis ense mori.

* In statuam marmoream Propertij. *
LIIII.

P*Allida quod nimium male finxerit ora Properti*
Ne precor artificem carpite, talis erat.
Finxit enim duræ mœrentem facta puellæ,
Aruerat sanguis, fugerat ore color.
Hac ego marmoreos sumpsi de Gorgone vultus,
Huius eram viuus, saxeus huius ero.
Vsus ab est vitæ tantum, verùm hunc ego, & olim,
Alterius viuens pectore, non habui.

* De Layde anu. *
LV.

L*Ays anus, caries, bustum & iam putre cadauer*
Ne se Hecatem sciret, cauta scidit speculum.
Verum vbi tergeminos speculum discreuit in vsus,
Ter geminam sese territa vidit anum.

Ad Melianum.

LVI.

Rarò edis & parcè, crassoque es pinguior apro,
Res magna & mira est si Meliane cacas.

* Ad Fanniam.

LVII.

Muneris omne tui est quod carmina nostra legũtur
Quod tã ḿste cano, criminis omne tui est,
Muneris omne tui est patria quod cantor in vrbe,
Quod sum illa oblitus, criminis omne tui est.
Muneris omne tui est quod tollor in astra, quid inde?
Fabula sum vulgi criminis omne tui est.
Muneris omne tui est quod post mea funera viuam,
Quod morior viuens criminis omne tui est.
Quando erit vt possim tibi Fannia dicere semper
Muneris omne tui est, muneris omne tui est.

* In tumultum Nestoris Medici.

LVIII.

Cvm populo arte mea properantia fata fugarẽ
Et duce me mortis regna minora forent:
In me iurarunt vitalia fila sorores
Proh superi! pietas, & benè facta nocent.
Debueram Pilij transcendere Nestoris annos,

Et quia phœbe tuus; & quia Nestor eram:
Flete meos casus, quin publica funera ciues,
Namque erat in nostra, vestr a salut e salus

* Febricitans Falco. *

LIX.

FALCO Poetarum pauperrimus omniū egenus
Febricitat morti proximus atque gemit:
Non quia fatalia timeat venabula mortis,
Sed quia non meminit funeris ante necem.

* Ad lauram. *

XL.

QVID tibi cum nostro riuali Laura? quid illum
excipis, & blandos das recipisq; sonos?
Non amor est, inquis, simulo quem credis amorem,
Ne doleas, verus non tibi desit amor.
O Dea, quis talem possit tolerare dolorem?
Gaudia riuali dat simulatus amor.

Ad Oliuerium.

LX.

DIC Oliuerio meo papyre,
Ne mihi taceat suos labores,
Quos tulit modo virulenta linquens.

Patria

Patriæ sola, pestilensque cœlum.
Quot noctes iacuit sub axe nudo
Totus ætheriis patens ruinis,
Quot soles fugere, & redire vidit,
Dum paruam nequit impetrare sedem.
An solus nihil est laboriosum
Passus? O hominem beatiorem!
At qui omnes alij simul profecti
Narrant historias molestiarum,
Narrant Iliadas periculorum.

In Simulacrum Occasionis.
LXII.

QVod Dea nomẽ habes? Occasio. Quis tibi sanguis?
Me genuit casus, protulit hora parens.
Sed cur abscondis vultus? Sum cognita paucis.
Cur stat sica manu? Dura repente seco.
Cur dextro est rota tarda pedi? Cur ala sinistro?
Sum pigra cum venio, prætereoque cita.
Cur præ crinita es, non post? Me crine teneri
Fas est ante fugam: post data terga nefas,

De regni AErario.
LXIII.

HIC Regni coguntur opes, ad publica belli
Commoda, vel pacis, si quando postulet vsus.

Tres hominum classes hæc vectigalia curant,
Sexq; viri ex illis, diuerso more leguntur
Ad summum munus, duo ciues, & duo equestres,
Totq; sacerdotes. Suus omnes deputat ordo,
Indeq; nomen habent. Nec solis ponderat tanta
Incumbunt, tractant parui leuiora ministri.
Omnibus imperium ternos finitur in annos.
Acta gubernantum rescindere nulla potestas
Saluo iure potest. Sic olim Curia sanxit,
Vt cōmune bonum saluum omni ex parte maneret.

In illud: Et homo factus est. LXIIII.

MAria semper integra
Vt ore, Fiat, edidit,
Dei repentè filius
Parentis in sinu manens
Defluit in aluum Virginis:
Deusq; factus est homo,
Homoq; factus est Deus.

De mure, & fele. LXV.

CEperat insidians murem Catus, & quasi ludens.
Nunc tenet ore leui, nunc fugitare sinit.
Credebant fratres ludum, latebrasq; volebant

Lin-

Linquere, sed mater, ne sciatis, ait.
Nil habet hoc ludi, prædonis pectora nosco,
Quisquis ab hoc capitur luditur ante necem.
Expertis sit plena fides, ne falsa sequamur.
Quid sit opus factu, facta priora docent.

In simulacrum Occasionis.
LXVI.

CVia manus? Phidiæ. Quid reddis fœmina? Diuã.
Quod nomen huic? Occasio.
Cur tegis os? Sum nota parum. Sed calcibus alas
Cur fers? Repente transuolo.
Cur præcrinita es, non post? Facilè obuia prendor.
Elapsa non possum capi:
Succeduntq. mihi duo pestes, conscia culpa
Vltrixq; pœnitentia.

De Boue.
LXVII.

STabat penè dies, cùm bos assuetus aratro,
Nescio quid quærens populosam venit ad vrbem
Sponte sua, nulliq; nocens, perq; ostia tendit
Vincenti (sic illa vocant) vicumq; per amplum
Nominis eiusdem; venales præterit arcas.
Inde leuis quadrupes signum pertransit ahenum,
Signum grandis equi, diuisamq; ense lacernam

Paupere cum Christo Martini nobile factum.
Mox petit obscuras, vbi pilea multa, tabernas.
Deserit ad læuam Catharinæ martyris ædem,
Perq. tuam Saragossa viam (sic nomine dicunt)
It rectà ad templum, nec turba obstante moratur:
Sed portam irrumpit, perq. altas ordine sedes,
Perq. sacerdotes, qui carmina sacra canebant,
Euasit violens: summiq. altaris ad aram
Cùm propè venisset, subitò vestigia torsit
A gradibus fortasse aliquid trepidabile cernens.
Exclamare omnes: ille altè cornua tollens
Exit Apostolicam paruo post tempore portam.
Fallax inde forum, & granaria publica linquit,
Soterique ædem superat: legit inde penates
Confectos annis, antiqua palatia Cidis.
Hac vrbem egressus, cùm pontem fortè teneret
Iam medium, hic magnum facinus, dictuq. tremendũ
Corniger est ausus, quod nusquam contigit olim.
Cùm nemo vrgeret, cùm nil obstaret eunti,
Sed fuga tuta foret, stetit, improuisus & altè
Per spondam arrectus se præcipitauit in amnem,
Infregitque artus, & protinus expirauit.
Hoc si damnato monstrum euenisset in æuo,
Quanta Valentinis mala prædixisset Aruspex?
Sed falsò: nihil est multos vrbs passa per annos.
Quo magis antiqui monstratur temporis error.

In

In tumulum Riberæ Ducis.
LXVIII.

SAXA quibus tanti sunt credita Principis ossa
Saxi rigorem ponite.
Et vestrum sentire decus, seruate cadauer
Omnes in annos integrum.
Nam concessa pijs animis domus aurea cœli
Totam reclusit ianuam.
Fœlicemque animam stellata in sede recepit
Inter supremos ordines.
Sit cœlo, & terra totus Ribera beatus,
Hic corpus, illic spiritus.

De Spilcueta Cantabro.
LXVIIII.

HIC situs est heros, quē cœlum optabat habere,
Optabat tellus, & retinere sibi.
Mortis ad arbitrium iussit natura venirent,
Et causam orarent vtraque regna suam.
Terra prior dixit. Si tu hunc mihi, diua, relinquis,
Linques consilium, iustitiamque mihi:
Si tollis, tolles mortalibus ornamentum,
Et tandem extinctæ lampadis instar ero.
Dixit ad hæc cœlum. Talis debetur Olympo.
Nam satis est terris hunc habuisse virum.
Hunc nisi das nobis Spilcuetæ iniuria fiet.

Nam quæ virtutis præmia viuus habet?
Mors arcum intendens alto pronuntiat ore.
Corpus habete homines, spiritum habete Dei.

De Amore.
LXX.

ALma Venus prægnans, cùm iam propè partus adesset,
Consuluit Parcas quid paritura foret.
Tigrin, ait Lachesis: silicem Clotho: Atropos ignem.
Ne responsa forent irrita; natus Amor.

De Cane.
LXXI.

FErt canis os per aquā, plus cœnæ cernit in vmbra.
Hanc dum captat hians, os cadit, vmbra fugit.

In Ebrium.
LXII.

ORgia Saturni redeunt, bibamus amici,
Nemo parum bibat, bibere sæpè iuuat.
Bi, longum feci, & be, re, producere par est.
Nam laudo longum bibere, damno breue.
Parcite Grammatici, vestrûm qui primus in orbe
Bibere corripuit, biberat ille nimis.

In Martinum Lutherum.
LXXIII.

CAntemus sacri facta admiranda Lutheri.
Sed numero in tanto quæ quibus ante feram?
Vxores voluit communes omnibus esse.
Quàm pulcrè totum tollit adulterium!
Se iactat cælo demissum, vt destruat aras.
Quis sic impleuit munus Apostolicum?
Qui noua prædixit mundo sacra, moxq; sacerdos
Vxorem duxit, nonnè Propheta fuit?
Dixit Euangelium. Non veni mittere pacem.
Hic turbat populos. O vir Euangelicus!
O hominem sanctum, qui ne vestigia Christi
Linqueret, Infernam venit ad vsq; domum!
Hoc tamen est inter: manet æternumq; manebit
Illic Lutherus, Christus ad astra redit.

Epitaphium Philippi Regis.
LXXIIII.

ILle ego defensor fidei, Christiq; Philippus
Henricum vici Gallorum sceptra tenentem.
Per me habet amissas Allobrox Regulus arces.
Hoste procul pulso defendi victor Oranum.
Extrusi pauidos Pinnonis culmine Turcas.
Terrifica solui Melitam obsidione Selimmi,
Maurorumq; domi bellum seruile repreßi.

Belga rebellauit, ſed victus fræna recepit.
Totum Othomanno Leucaten ſanguine tinxi.
Per me ſeruauit Ligures concordia ciues.
Iuſtus Vlyſſæam veni ſucceſſor in vrbem.
Galla dedit meritas multo mihi ſanguine pœnas.
Coniurata Tago profugos inducere claſſis.
Inſula fœta armis mihi ſubiuga Tertia miſſa eſt.
~~*[illegible] Aragonas poſui ceruicibus arces.*~~
Per me legitimo ſeruata eſt Gallia regi.
Hiſpanos omnes poſſedi ſolus, & ambos
Rexi Indos ſolus, quos afflat Veſper & Eos.

De Cane.
LXXV.

FERT canis ore cibum, videt vmbrã illius in amne
Eſſe putat corpus, fertur ad illud hians.
Mergit aqua rictus, vacuos è fluctibus effert:
Fruſtrà eſcam quærit. Denique inanis abit.
Sic qui diuitijs inhiat terreſtribus amens,
Dum bona falſa cupit, perdere vera ſolet.

De inuentione Horologij arenoſi.
LXXVI.

PVlueris hic curſus non eſt vulgare repertum.
Olim Leandri nobilis vrna fuit.
Hanc commenta Hero, caſus vt cernat amantis.
Dum cinis anguſtas itque, reditque vias.

De

De Ero & Leandro.
LXXVII.

MOEsta sibi ante oculos, vt semper verteret Ero
Iacturamque viri, naufragijq. locum.
Vas geminum fecit, cineres inclusit amatos,
Fauceque communi iunxit vtrunque caput.
Nominat ex illis hoc Seston, & illud Abydon.
Quod iacet in medio Bosphoron esse putat.
Sic sibi fingebat properantia membra natantis
Cernere, cum flueret, reflueretque cinis.
Labendique moras horam non amplius vnam
Fecerat, vt gratum sæpè videret iter.
Puluere consumpto, mortem plorabat amantis:
Vertebatque vrnas. Hic sine fine labor.
Qualis durus amor, si vitam mutuus aufert,
Postque necem cineri non datur vlla quies.

* De Pallade, & Venere. *
LXXVIII.

ARmatam videns venerem Lacedæmona Pallas,
Vis ne iudicium sic ineamus? ait:
Cui Venus: armatam quid me temeraria temnis
Si quo te vici tempore nuda fui?

* De Amore. *
LXXIX.

Viuimus, at miseras consumit flamma medullas
Viuimus, at nostros obruit vnda sinus;
Nimirum gemimus, madeant cum facibus vsta
Pectora; fax vndas temperat, vnda faces.

In tumultum Arcilij & Marcillæ Romæ.
* LXXX. *

SEmicapri quicumq; subis sacraria Fauni,
Hæc lege Romana verba notata manu:
Hercilius hic iaceo, mecum Marcilla quiescit,
Hæc soror, hæc genitrix, hæc mihi sponsa fuit.
Ficta putas, frontemq; trahis, & ænigmata sphinges
Credis? sunt Pithio vera magis tripode.
Me pater è nata genuit, mihi iungitur ipsa,
Sic soror & coniunx, sic fuit illa parens.

* Ad Aloysium Gonzagam. *
LXXXI.

ALoysi rogo per Comellæ ocellos,
Per mellita labella, per papillas,
Per siquid tibi dulcius labellis,
Per siquid tibi mollius papillis,

Ne

Ne tu delicias meas puellam
Spectes, vel simul obuiante ocello,
Nec blanda nimis alloquare lingua.
Es bellus nimis, & nimis disertus,
Cui nec Penelope negare posit.
Hæc bella est nimis, & nimis diserta,
Cui nec Hippolytus negare posit.

* In Midam. *
LXXXII.

SCribere si Midas aliquid speciosius optat
Protinus ad numeros libera verba trahit.
Nempe stylos omnes non æstimat vnius assis
In quibus aut pæon, aut dichoræus abest.
At post mille pedes nihil extra limina prodit,
Quis pedicas istos non putet esse pedes?

In eundem.
LXXXIII.

MVlta fatemur habes Cicero quibus esse videris,
Multa fatere tamen non Ciceronis habes.
Hoc Ciceronis habes pedibus quod scripta coerces,
Quod sine laude facis, non Ciceronis habes.
Hoc Ciceronis habes quod carmina condis ineptè,
Quod prosam ignoras, non Ciceronis habes.
Hoc Ciceronis habes quod te per compita iactas,

Quod

Quod facis immeritò non Ciceronis habes.
Multa Ciceronis habes, si pessima quæras
Si bona respicias nil Ciceronis habes.

Genesis Didaci à Borgia. LXXXIIII.

TALE fuit cœlum misera cum matris ab aluo
Didacus exoritur,
Cui caput abscidit, non solum regius ensis
Carnificesque manus
Sed q uoque stellarum virtus, quæ desuper omnes
Res hominesque Regit.
Quam facile hinc potui tantam deprendere cladem,
Sed sine mente fui.
Tota viri Genesis spirat ferrumque necemque
Tota cruore madet.
Mars ferus in tauro stat iuxta Perseos ensem
Gorgoneumque caput
Sol tenet ima poli, & quadrato Marte laborat
Nec tibi Luna bene est.
Hospita namque Venus tum Martis vulnera sentit
Tum sine luce latet.
Adde malis tantis, octaua regnat in aula
Falcifer ille senex.
Nusquam stella Iouis, quæ Martis temperet iras
Nulla aliunde salus.
O quantum in nobis cælestia corpora possunt
Non probibente Deo.

De Luthero.
LXXXV.

AD cœli portam fertur venisse Lutherus,
Sed Petrum hic cernens desore vertit iter.
Per loca purgandi noxas vestigia fecit,
Non tamen agnouit: nam comes error erat.
Venit ad Infernas fauces,sed ianitor inquit.
Aduena siste pedem,non tibi porta patet.
Plus nobis lucri viuus,quam mortuus affers,
Viue iterum,vt veniant millia multa virum.

Ad Pasquinum.
LXXVI.

CVR præter solitum, veterem, Pasquine, saliuã
Nõ spuis in mores? Nũ linguæ absynthia cessãt?
Cum tota vlceribus putrescat vita,pudorque
Exulet exanguis,ratioque elinguis oberret.
Crede mihi,sodes,laudas malefacta silendo,
Et vitium taciturnus alis.Fac audiat orbis
Lethales ronchos,toto sonet orbe flagellum.

Pasquinus in Lutherum,
LXXXVII.

DIco ego Pasquinus,Lutherum nemo reprendat.
Nam mihi permagna iunctus amicitia est.

Nec

Nec dubitem illius totam defendere causam,
Siue sit ante homines, siue sit ante Deos.
Scilicet arguitur Christum abiurasse, sed errant.
Nunquam iurauit se fore Christe tuum.
Scire volunt quare sacra, & sacraria tollat?
Affirmo, nullos sic fore sacrilegos.
Dictum est Iudæis: nullum sit sculptile vobis.
Verpus homo nullis parcit imaginibus.
Hoc saltem peragit toto mirabile mundo,
Vt sim defensor, qui modò Momus eram.

De mure.
LXXXVIII.

MVS liber, capto quæritur, quòd semper haberet
Exiguasque dapes, exiguumque cauum.
Ille è decipula, cibus est mihi plurimus, inquit,
Et satis ampla domus, sed vetor ire foras.

De Horologio arenoso.
LXXXIX.

HÆC nimis hora fugax, dum vitro currit arena
Nos monet extremum non procul esse diem.
Summa breuis vitæ leuibus componitur horis:
Et quia puluis homo est, pulueris instar abit.

In Tumulum Philippi Regis Echo. LXXXX.

O Quanta mundo contigit clades! Ades.
Adsum nec iſta voce terreor. Reor.
Loquarq. tecum ſi tibi eſt gratum. Ratum.
Facis profectò digna Principe. Incipe.
Quæ te Philippe ſors tulit ſeuera? Hera.
Quæ tam potentes Diua habet manus? Anus.
Vbi vmbra degit? Credo apud Deos. Eos.
Geſtas coronam, credo lauream. Auream.
O ſumme Regum ad vltimum quid ſumus? Humus.
Spes, regna, honores nonne ſomnia? Omnia.
Surſum deorſum tota fertur vita. Ita.
Mori nè præſtat? Vera dicito. Citò.
Quid? Id. Sinamus, ſi tibi eſt gratum. Ratum.
Os claudo. Laudo. Sentio me labi. Abi.
Sit ſempiternum tale geſtamen. Amen.

De Progne marmorea. LXXXXI.

MArmoreã hanc Prognẽ ſi Tereus forte videret.
Hoc coram Tereo ſi modò ſtaret opus.
Hæc illa eſt coniux mea crudeliſsima, paruum,
Diceret, hæc illa eſt, quæ iugulauit Itym.
Si manus artificis potuiſſet reddere vocem,
Munere vel Superûm poſſet imago loqui.

Vera

Vera foret Progne. Nōn hæc eſt ſaxea, dices.
Saxea quæ natum dilacerauit, erat.

Emblema magnanimi viri. Per primas dictiones ſurſum deorſum legitur idem Carmen. LXXXXII.

ADeſt catellus, & leo.
Catellus oris hoſpes eſt,
Et hoſpes inſolens nimis.
Leo eſt nimis benignior.

Paſquinus in Lutherum. LXXXXIII.

SOmnus erat nobis, armatuſque eſſe videbar.
Meque ipſum admirans, talia verba loquor.
Nonnè ego Paſquinus? Cur ferrum brachia celat?
Vnde mihi thorax contigit? Vnde ſparus?
Cur venit in mentem Romanaq. vertere templa,
Pellereque ingenti ſeditione Papam?
Ah ah rem teneo: me fugerat eſſe Lutherō
Addictum, hinc nobis ſpiritus ille venit.
Parendum eſt iuſſis: præcones ite per vrbem,
Atque omnem Chriſti ſollicitate gregem.
Militibus dabitur ſine ſcala aſcendere cælum,
Libertas dabitur non habitura modum.

Credo

Credo edicta placent:dant omnes nomina ventres,
Omne lupanar adest,nulla popina deest.
Sint mihi signiferi,corruptæ virginis autor,
Famosusque bibo,centimanusque latro.
Ordinibus præsint qui nolunt ferre cucullas.
Ingens turba sumus,dicite quisquis adest.
Viuat Lutherus,quem nunquam terruit Orcus,
Nec fulmen Petri,nec manus alta Dei.
Quot video clades!In patrem filius arma
Conijcit,& frater vulnere fratris obit.
Iam piscatores fugiunt gens pendula cœlo,
Atque inopes Christi,corpora sicca fame.
Iuro meos sanctos,quorum ieiunia non sunt,
Nec gaudere vetant,nec lachrymare iubent.
Hostis erit nobis qui templis parcet,& aris.
Parcite,iam luxum fœmina,virque colunt.
Regnet clauda fides,det mundo iura voluptas.
Vltima dum verba hæc profero,somnus abit.

Ad Osforium.
LXXXXIIII.

OSfori,qui nunc virtutem amplecteris vnus
Non vnam:incertū est qua magis emineas.
Miles in officio es,ciuis te moribus ornas,
Scriptor das nobis bellica consilia,
Quæ candore suo vincunt monumenta priorum,
Atque eadem vincunt vtilitate sua.

Pasquinus in Lutherum.
LXXXXV.

NEmo me posthac Pasquinum dicat in vrbe,
 Sed Zuingliũ, aut Buceruũ. Nã noua secta placet.
Quid Buceros dixi? Quid Zuinglos? Ante Magistrum
 Me ponam, vt toto dicar in orbe caput.
At latro, impostor, sacer, execrabilis, exlex.
 Omnia cum fuero, semi Lutherus ero.

Epitaphium Philippi Secundi Regis Hisp.
LXXXXVI.

HOspes tolle oculos, hic est Rex ille Philippus
Defensor fidei, rerum tutela sacrarum.
Plus iusto patiens, humanæ cædis abhorrens.
Sed foris atq; domi magna est discrimina passus.
Sæpè hostes vicit, superauit sæpè rebelles,
Notaq; per mundum sontes exempla dedere.
Sed quorsum hæc ingens comitatur turba sepultum
Fœminea Heroem? Sunt hæ, quas fœdere sancto
Vxores duxit, ne successore careret
Fœta domus regnis, & mundi cardo labaret.
Prima fuit coniux Lysio Ioanne creata.
Dignaque Mariæ præclarum nomen habere.
Altera dotales habuit Maria Britannos,
Infœcunda tamen, nec longo tempore vixit.
Post illas Isabella venit præclara duarum

Natarum genitrix,& Galli filia Regis.
Anna dehinc sequitur Germano Cæsare nata,
Multorumque ferax natorum. Hæc vltima coniux.
Cur cerno hîc illas? Posuit commune sepulchrum
Illis, atq; sibi, cunctisque nepotibus olim,
Hoc intra templum non enarrabile templum.

In Palmirenium Grammaticum.
LXXXXVII.

VAlete Musæ, si potestis amplius
Amare Palmirenium.
Lenonis instar vos adire virgines,
Castasque Parnassi Deas
Indignus horret, diligitque putidas
Loquacitatis filias:
Quas ille vestris vanus ornat vestibus,
Vestroque honestat nomine.
Et per theatra, vt impia Lupanaria.
Adulterantes exhibet:
Adulterantes impolita carmina,
Versusque olentes fornicem.
Valete Musæ, si potestis amplius
Amare Palmirenium.

De Amore.
LXXXXVIII.

QVID hoc timoris? Huc adeste Naiades,
Domos parumper humidas relinquite,

Nemus in sacrum mihi venite Virgines,
Vbi alta Myrtus, & frequens Amaracus
Suauè spirat, atque opacat aerem
Soli perennis humor. Hoc rogo Venus.
Nihil periculi à meo puellulo.
Humi reliquit arma, nec manu facem
Habet, iacetque matris in sinu & graui
Sopore languet. Vt libenter exeunt
Vadis, vt ore dulce cantitant melos,
Vt has videre lætor, vt citò elegans
Gradu chorea proximat. Sed heus Deæ,
Pedem tenete, paululum recedite,
Meum est cauere, ne mali quid accidat.
Amor sopitus, atque inermis est Amor:
Solet ferire nudus intimum iecur,
Amatque non amans, amansque plus amat.

De Narcisso.
LXXXXVIIII.

GArgaphium venit fontem Narcissus, & illic
Se spectans alium cernere visus erat.
Decipitur visu, seque ipsum cœpit amare,
Cunctaturque vndis cernuus, idque refert.
O formose puer, quis te ista condidit vnda?
Quodvè tibi nomen? Quod rear esse genus?
Me miserum, gelidis reperi sub fluctibus ignem,
Sed quoque, ni fallor, me speciosus amas.

Dum

Dum fleo, das lachrymas, dum lætor gaudia mōstras
Dumque loquor, surdo murmure labra moues.
Brachia tendenti tendis, das oscula danti,
Me fugiente fugis, me redeunte redis.
Sic & amans, & amatus obit: nec fabula vana est.
In re quisque sua fallitur, estque puer.

In tumulum Philippi Secundi Regis Hisp. per primas quasque dictiones legitur sursum deorsum idem versus.
C.

PHilippus hîc Monarcha stat?
Hic ille summus omnium
Monarcha? Summus hoc modo?
Stat omnium modo inopum.

De amore, & Morte fabula.
C. I.

ÆRis inops iuuenis, sed forma pulcher Adonis
Verba dabat lenæ quot Calepinus habet.
Pro nummis numerabat auos ab origine longa,
Et sua iactabat facta per Italiam.
Deinde quærebatur longo frustratus amore,
Et culpam in solam reijciebat anum.
Conscia lena tamen, sic respondebat. Amabo.
Hoc audi, ignoras pristina facta puer.

Sors iuuat audacem, sed rarò audacia fœlix,
Res nulla in tuto est, si cadere illa potest.
Quid valet irasci? Vana est sine viribus ira.
Cuncta dat armato, qui dare iusta negat.
Pulchrius est sano prohibere à corpore morbum,
Ægrotum medica quàm recreare manu.

De Deo.
C. III.

ARBOR *dat fructus, si succum terra ministrat,*
Terra ministrabit, si dabit imber aquam.
Imber erit certus, cum Pisces Luna tenebit.
Luna tenet Pisces, cùm iubet ordo Poli.
Respicit ordo Deum. Solus Deus ergò ministrat
Fructus, succum, imbrem, sidera, signa, polum.

Ad Christophorum Moram.
C. IIII.

O *Mora, da veniam, si longum fortè moramur,*
Nec promissa tibi carmina mitto breui.
Accusa tempus, nihil est iniustius annis,
Multa rapit nobis commoda longa dies:
Et quoque scribendi studium furatur, & artem,
Atque hebetat sensus, illaqueatq; manus.
Nam postquam infœlix senui: sum penè cadauer.
Sum sine vi corpus, sum sine mente caput.

Comparatio vitæ humanæ,& diei.
C.V.

HOMO, diesque nascitur,
Parique sorte fungitur.
Foras vt ambo prodeunt,
Manere ita ambo nesciunt,
Volare mane cernimus,
Nec it iuuenta tardius,
Agunt viri meridiem
Refert senecta vesperem.

De miseria vitæ.
C. VI.

VITA via est similis, mortalis quisque viator.
Incipit ire puer, desinet ire senex.
It, dum viuit homo, decursa ætate quiescit.
Ergo mori requies, totaque vita labor.

Epitaphium Philipphi Secundi Hispan. Regis.
C.VII.

SVM pius Augusta Caroli de stirpe Philippus,
Austria nostra domus, regni caput orbis Iberus.
Hæc duo seruaui semper, sumpsi arma coactus,
Inuitus pœnas. Mandaui cætera Diuis.

Epita-

EPitaphium Mariæ primæ vxoris Philippi Secundi Hisp.Reg.

C.VIII.

ME Rex Lysiadum genuit,dixitque Mariam,
Ducendamque dedit genero:fuit ille Philippus
Rex Hispanorum magnus.Sed sorte sinistra
Prima fui coniunx,& primo mortua partu.

Epitaphium Mariæ secuudæ vxoris Philippi Secundi Hisp.Reg.

C.VIIII

ANglorum Regina fui,coniunxque secunda,
Magne Philippe,tibi, quem Regna Hispana ma-nebant.
Sed dulces natos mihi tristia fata negarunt,
Et breue post æuum subij Maria sepulchrum.

Epitaphium Elisabethę vxoris tertiæ Philippi Secundi Hisp. Reg.

C. X.

ISabella ego sum, Gallorum filia Regis.
Atque Philippi vxor,qui Regna Hispana tenebat.
Tertia sorte fui,sed plus fœcunda duabus.
Bis peperi,natasque duas extincta reliqui.

* Quatuor anni tempora. *
C. XIIII.

DAT segetes æstas, autumnus vina ministrat,
Stridet hyems, veris tempore vernat ager
Vere color varius pratis, æstate legumen,
Fertilis hyems ventis, ver serit arua rosis.
Ver, autumnus, hyems, floret, vindemiat, alget
Grandior æstatis gloria, farra legit.
Autumno vites, fruges æstate redundant,
Os hyemi canet, veris imago viret.
Grana ferax æstas, autumnus parturit vuas,
Ver roseo ridet margine, plorat hyems.
Vinitor autumni cupidus, æstatis arator,
Veris amans amor est, frigida riget hyems.
Pampinus autumno decor est, æstatis arista,
Nix hyemis munus, gloria veris odor
Vere decor campis, autumno bachicus humor,
Spica æstate redit, nescia frugis hyems.
Palmite, frumento gaudent autumnus & æstas
Ver & hyems, complent omnia flore, gelu.
Vere Venus flores, autumno vina lyeus,
Messem æstate ceres accipit, alget hyems
Autumnus trullis feruescit, falcibus æstas
Stridet hyems, veris tempore vernat ager.

In effigiem marmoream Caroli Princip. * Hispan. *
C. XV.

HIC verè est Carolus, qui saxea corda gerebat
Viuus, & in patriam multa coquebat atrox
Dignus erat pæna, sed erat Regni vnicus hæres.
Successorque domus, & patris altus amor.
Hærebat dubius charo super hoste Philippus
Pugnabantque alto Rexque paterq. modo.
Vicit amor patriæ, periijtque in carcere natus,
Cedant palmæ omnes, hæc sapit vna Deum,

* Ad Ludouicum Perezium. *
C. XVI.

PER versus nostros tua munera vota quotannis
Auribus oro tuis percipe verba mea.
Æger eram nuper, nunc iam Ludouice valemus
Inque suo redijt robore prisca salus.
Accipiam quæcunque dabis mihi pharmaca, sed si
Possibile est à me transeat iste Calix.

* De vitæ laboribus. *
C. XVII.

QVicquid malorum singulis
Fortuna dat mortalibus,

Hoc

Hoc vniuersum colligens
In nostrum aceruauit caput.
Sed dulce duco quod præmor
Tanto malorum pondere
Per hos nimirum gradus
Festinat immortalitas.

* De Ariete,& Cerua. * C.XVIII.

EST *mihi trux Aries peregrinæ pellis & oris*
Quatuor in fusca qui gestat cornua fronte,
Mitior est ipsis ouibus,si nemo lacessit,
Iratus terram pulsat pede,cornibus instat.
Est & Cerua mihi collo tenus,inde capella
Quæ varios patres testatur dispare forma,
Sæpe domo fugitat,Ceruis vt nubat & hircis,
Plena redit,partusque mihi dat sæpe bimestres.

In effigiem Iacobi Regis Transmissam à Valentinis Carolo Principi Hisp. * C.XVIIII.

REX *fama magnus,maior virtute Iacobus*
Talis erat,sic ille manus,sic ora ferebat
Restituit pictura artus:tu grandior olim
Carole restitues virtutes,bella,triumphos.

In tumulum Caroli V. Imp.
* C. XVIIII. *


PRO *tumulo ponat Orbem, pro tegmine Cœlum,*
Pro facibus ſtellas, pro lachrimis Maria.

* In tumulum S. Ignatij Loyolę. *
C. XX.

QVis *iacet hic? nullus: quis ſaxo hoc conditur? Omnis.*
Planius iſta rogo, dic age vera lapis.
Hic ſitus eſt cuncti contemptor Ignatius, orbis
Qui ſibi nullus erat, omnibus omnis erat.

* De Syderum poteſtate. *
C. XXI.

NOS *elemẽta mouent, elemẽta regũtur ab aſtris,*
Aſtra Deo parent, vltima cauſa Deus.



OPERVM POETICORVM IACOBI FALCONIS VALENTINI.

LIBER II.

LYRICORVM VERSVVM VARIA GENERA.

Ad ſeipſum de breuitate Vitæ. Ode prima.

*ENS mea quid dormis tam longa merſa veterno?*
Surge age, ſurge ſomno.
Contemplare, precor ſtellatas ætheris aulas,
A quibus exul erras.
Vt mors obrepat non intellecta, nec vllo

Dep

Det manifesta gressus.
Quam sperata grauis, quàm tristis lapsa voluptas,
Quam fugitiua præsens.
Vt nostro arbitrio meliores viximus horas,
Actaque præstet ætas.
Vt ruat in peius primæua ab origine mundus,
Degeneretque tempus.
Præteritum nemo possedit, nemo futurum.
Quid manet ergò? Punctum.
Denique cum paruo momenti tempore præsens
Transuolet, esto prudens.
Et quod venturum speras, venisse putato:
Nemo futura, nemo
Duratura magis, quam durauere priora,
Speret eunte vita.
Quàm citò discessit fugitiuæ Aurora iuuentæ,
Et iuuenile manè:
Tam citò firma ætas, & vespertina senectus
Hos mihi franget artus.
Sunt hominum vitæ currentia flumina raptim.
In mare, nempè mortem.
Dùm properant, discrimen habent amnesq. hominesq.
At simul occidêre,
Non aqua distat aqua non diues paupere differt.
Omnibus vna sors est.
Vtilis hæc vita est, si rectè viuimus: vnus
Cùm sit ad astra trames.
Semita sed dubia est, vitandusque error in illa:
Fallit

Fallit vbique sensus.
Nati iter hoc capimus, dum vita fungimur, imus:
Cum morimur, manemus.
Mors igitur nullus labor est mortalibus ægris,
Sed requies laboris.

Ad Philippum Regem.
Ode Secunda.

PHilippe magne, quid moraris amplius
Pœnas ab Afris sumere?
Ibera nanque peruagantur æquora
Tuis molesti ciuibus.
Id otiosa te rogat Valentia
Hispani ocellus littoris.
Idem precatur & vetusta Tarraco
Princeps Iberarum vrbium.
Et omne littus à Pyrenæo iugo,
Vsque ad columnas Herculis.
Ad ipsa, ad ipsa (pro nefas) suburbia
Venisse Mauros vidimus:
Locata castra propter amnis ostia,
Naues abactas flumine:
Eas profectò, quas habebat anchora
Sicco alligatas littori.
Reor fuisse vel decem, vel vndecim
Omnes onustas mercibus.
Nec hoc adorta classis Othomannica:

Sed parua prædonum manus.
Quid hoc? Quotannis latronibus
Plus, quàm Philippo pendimus.

In Palmirenium Grammaticum. Ode Tertia.

MIsellus ille, qui vacat Poeticæ,
Vt multa gens mortalium,
Audetque soccum vel cothurnum tangere
Ignarus artis musicæ,
Scribit, probatque quicquid à stylo cadit,
Vix vix lituræ displicent.
Labore functus, & dolosa scenicam
Spe pollicente gloriam,
Ambit Senatum, currit ad collegia,
Inuitat omnes ordines.
Theatra deinde cernit infrequentia,
Rarum in corona nobilem.
Claros honore, vel scientia viros
Manu recenset vnica.
Exit triformis, quadriformis fabula,
Linguisque diuersis rudens.
Auditor omnis spectat alter alterum,
Et vnde sit monstrum, rogant.
Magis, magisque rumpitur silentium,
Hic clamat, ille sibilat.
Siquis modestus interest,

Aut dormit, aut præsens abest.
At cùm perorat histrio nouissimus,
Et dicit optatum vale.
Placere demum ineptus autor incipit,
Auditque inauditum probè.
Hæc vt loquutus verba Palmirenius,
Poeta iam non amplius,
Omnes recondit scrinijs ineptias:
Mox in theatrum protulit.

De aulæis regis, quibus Tunetana expeditio intexta est.

Ode Quarta.

NVper paratam visere Regiam,
Me cepit ardor: vidi ebur Indicum,
Vidi peregrinas Ferarum
Exuuias, alioque vectas
Ex orbe gazas, vasaque gemmea,
Aurique lances: sed super omnia
Mirabar auratos tapetes,
Et varios operum labores.
Pugnata nostri prælia Cæsaris,
Magnosque motus, cùm fera inhorruit
Carthago, & antiquum paternis
Expulit à laribus Tyrannum:
Quem parua binis remigibus scapha
Extorrem ad vrbes vexit Ibericas,

Pedesque ad Augusti volutus
Perfidiam memorabat Afram.
Quapropter vltor Carolus æreas
Traiecit altum per mare copias,
Quas mille inauratæ triremes
Littore ab Hesperio vehebant.
Fulgebat auro portus, & hostium
Non vna classis, pars maris Africos
Myoparones, pars liburnas,
Atque rates Asiæ tenebat:
Quas Turca Mauro sub duce miserat,
Vt gentis Afræ præsidium forent
Tutum, sed omnes vt procella
Carolus à pelago fugabat.
A portu ad vrbem primus erat labor
Turrita moles, quam procul ænea
Tormenta, belli machinæque
Glandibus igniferis petebant,
Aterque fumus, densaque pulueris
Caligo cœlum texerat, & diem:
Nostrique per scalas volabant,
Vt supera potirentur arce.
Non longè ab vndis campus erat patens,
Gratusque fessis militibus liquor.
Hîc Cæsar & Turcas cohortes,
Et Numidas agitabat alas:
Vt tritam aristam, vel paleas leues
Æstatis, alta verrit ab area.

Flans

Flans ventus, Autumniq. ſiccas
Turbo trahit, retrahitque frondes.
Non illa tantis horrida machinis
Turrita moles, fœtaque mortibus
Seruauit vrbem: quin vtrunque
Ipſa cadens ſtupefecit axem.
Hîc capta nigrum ſulphure ciuitas
Voluebat æſtum: hîc plebs fera militum
Vinctoſque captiuoſque ciues
Mœnibus à patrijs trahebat
Ad triſte littus: præda vbi maxima
Iacebat auri, non ſine virginum
Matrumque fletu, quæ parentes
Atque viros miſerè vocabant
Paſsis capillis: quas bonus audiens
Mitiſque Cæſar parcere ſexui
Iubebat, & ventis vocatis,
Heſperias remeare ad oras
Victor parabat. Sed prius exulem
Regemque amicum ſuauiter oſculans
Reddebat antiquos honores,
Et domitam generoſus vrbem.

Ad Philippum Secundum Hiſpaniæ Reg. Ode quinta.

PHilippe magne, iam ſuperbus Othoman
Duces, rateſque contrahit:

Minaxque rumor vniuersa littora,
Et æquor omne territat.
Pauent Trinacrij, tremit Neapolis,
Sibique Roma prospicit.
Nec vrbs reposta in Adriatico mari
Metu impijssimi vacat.
Philippe magne, te decet periculum
Tuto subire publicum.
Tuum est cauere, ne mali quid accidat
Pijs ab hoste gentibus.
Tibi profectò seruit omnis Italus,
Tibi Sicamber vltimus.
Tua est potenter imperans Iberia,
Tuæ occidentis insulæ.
Nouusque mundus indies fit amplior,
Tibique seruit vnico.
Philippe magne fac, eos vt obruat
Tuæ procella dexteræ,
Tua in profunda sorbeat potentia,
Ruant ad ima funditus.

Deplorat Hispanorum calamitatem. Ode Sexta.

HIspane miles, cuius ira numinis
Tuam repressit dexteram?
Cùm nuper imo victor æquabas solo
Vrbes & arces Lingonum.

Vel cùm nefando Romam adortus impetu
Hoc inquinasti sæculum.
Non purpuratos ordo texit Principes,
Non infulatos flamines.
Summumq; mundi (proh nefas) Antistitẽ
Nostro retentum carcere
Fleuere gentes. Tam ferox immanitas
Nos fecit inuisos Deo,
Nostramque retro vertit impotentiam
Venturam ad extremum gradum.
Olim triremes, & duces, & copias
Hausit procellosum mare.
Quid nuper? Vrbis Algerensis Regulus
Curuis minaces vngulis
Spreuit Leones, bisque victor impetus
Hispaniarum contudit.
Nunc ille felix, & potens exercitus
Tantis superstes cladibus
Malè ominatam nauigauit Africam
Nunquam reuersurus domum:
Deprensus inter Syrtium voragines
Turcas cruentauit manus:
Fame, sitique redditos inutiles
Oppressit armorum furor.
Pascuntur alacres insepulta corpora
Aues, & hostiles canes.
Io triumphe concinentes barbari
Altam petunt Byzantion.

Dux inter arma militum acclamantium
Sella triumphali ſedens
Hiſpana ducit ante currus agmina
Vinctis retrorſum brachijs,
Regique Turcō pollicetur inſolens
Parem quotannis gloriam,
Si deinde vertat ſigna militaria
Ad occidentalem plagam.
O Rex Deorum, ne tuorum amentias
Vltra recordari velis,
Fac, vt Philippus barbaris minacibus
Potentiam opponat ſuam,
Tuaque dextra mittat impijſſimos
Inhoſpitale ſub chaos.

Hiſpania ad Galliam de pace inter vtriuſq. Prouinciæ Reges compoſita.
Ode Septima.

NI Rex Deorum Gallia, Gallia
Pacaſſet orbem, non ego regios
Vultus, ſerenatamque frontem
Siderei aſpicerem Philippi.
Talis manerem, qualis in æthere
Nocturna lampas, cùm ſine cornibus
Apparet, illuſtremque frontem
Oppoſita ferit vmbra terra.
Tu murmurantes ſulphure machinas,

Tormenta sacri fulminis æmular,
Tu signa, tu nostras cohortes
Trans Ligerim fluuium videres.
Sic te premebat robur, & acrium
Fortuna semper prospera militum,
Quos inter agrorum labores
Hesperiæ peperere matres.
Sic gloriosi mascula Caroli
Proles, paternis docta laboribus
Implere spes omnes, nec vllam
Imperio tolerare metam.
Quin ergò Paci, Dijsque datoribus
Desideratæ pacis & otij
Libamus, & iustos honores
Ad meritas adolemus aras?
Compone mecum Gallia cespitem,
Mactemus amplas vtraque victimas:
Tu centum inauratos iuuencos,
Eximios ego mille tauros.

Laudes Caroli Quinti Imperatoris, Ode Octaua.

QVid efficaces Austriadum manus
Possint, vt inter prælia fulminent;
Quàm semper optatos triumphos
Omnibus à populis reportent.
Testis fugatus barbarus Othoman:

Cùm sæuus omnem penè meridiem,
Totamque contraxisset Arcton
Pannonias domiturus ambas.
Testis Ticinum flumen,& vrbium
Quicquid iugosis pendet ab Alpibus,
Et quantus Apenninus ingens
Porrigitur per vtranque Tethyn.
Testis negato Cæsare perfida
Germana virtus, pœnaque Saxonum,
Vndisque pollutus cruentis,
Nec pelago bene notus Albis.
Testis subacta pulsus ab Africa
Trux ille prædo. Testis inhospita
Guleta, Carthagoque magna
Austriadum recidiua flammis;

Epithalamium Philippi Secundi Regis Hispaniæ.
Ode Nona.

O Sponsa pulcrum nacta iuuenculum,
O pulcriorem nacte puellulam,
Vterque Rex,& mox vterque
Hesperios geniture Reges.
Vos auspicatis iungat amoribus
Matrona Iuno, vos Venus aurea
Fœcundet, amplexusque primos
Dulce puerperium sequatur.

Intersit

Interſit alto ſedula partui
Lucina præſens, vt ſine queſtibus,
Vlloque nixu, vel dolore,
Matre cadat ſpecioſus infans.
Naſcente fœtu ſumma ſalubritas
A ſempiternis defluat ignibus;
Totumque coniuraſſe cœlum
Vnius ad pueri beandos
Credatur ortus. Non Caper æquoris
Naſcatur vná, non fera montium
Portenta, nec ſtellæ minaces
Corporibus, radijſvè lædant
Natale ſidus: ſcilicet igneum
Leonis aſtrum Sol pater occupet,
Sol norma cœli, quem ſequuntur,
Et reliqui venerantur ignes.
At quæ triformi gaudet imagine
Germana Phœbi, magnaque ſiderum
Regina, ſublimem per orbem,
Perq; ſuum volet alta Cancrum.
Aurata Mauros vellera permmeet,
Saturnus vrnam, Rex quoque Iupiter
Martemque, Saturnumque frangens
Theſſalicas peragret ſagittas.
Venus benignis lancibus aſsidens
Maligna felix lumina temperet,
Felix per Aſtræam feratur
Mercurius rationis autor.

Ad hæc Deorum nullus inania,
Aut pigra cœli possideat loca.
Omnes ferantur per beatas
Ætheree regionis aulas.
Nascatur infans ore simillimus,
Virtute maior penè parentibus:
Omnesque Musæ, Gratiæq;
Ad puerum properent alendum.
Adultum honestis moribus imbuat
Centaurus alter, proterat alteram
Bellando Troiam cùm per æuum,
Perq; suam Thetidem licebit.
Ni malit Indas quadriiuga Tigri
Domare gentes, Liber vti pater;
Ni malit immensos subire
Amphitrioniadis labores,
Siue ille Colchos rursus inhospites
Inuisat Argo: siue volans equo
Inuisat Ætnæam Chimæram;
Victor eat, redeatque victor.
Vobis benignus Iuppiter annuat
Turbam nepotum, detque nepotibus
Ætate confectos nepotes,
Et seriem numerosiorem.

Regum Magorum Hymnus. Ode Decima.

ALma lux salue rediens quotannis
Iure solemnis, meritoque festa,

Dignaq;

Dignaq; Eoùm tria dona præsens
Cernere Regum.
Primus hærebat reputans, an ille
Pauper, & pannis malè tectus infans
Rex foret mundi, dominusque rerum
Orbis ab ortu.
Sed memor vatum, memor, & locorum,
Vnde sperabant populi salutem,
Quid moror? Dixit: nihil ambigendum.
Stella relinquit.
Quæ prius nobis iter indicabat,
Nunc supra infantem tugurique culmen
Fixa consistit veluti suo iam
Munere functa.
Dixit, & sacram capitis coronam,
Quam sibi multo fabricarat aurò,
Detrahit fronti, pueroque Regi
Donat habendam.
Alter infanti fragili & caduco,
Nempe mortali, sua dona præbens
Aspera ex myrrha, simul ore promit
Aspera dicta.
Hic puer magno similis Giganti
Curret in lethum, placidus volensque;
Triduò mortis spolium latebit
Mortis in aluo
Hic nouus Sampson crucis ambo ligna
Sponte complexus, quatiet sacratum

Corpus,

Corpus, & vitæ ſubita ruina
Opprimet Orcum.
Mox Deus fortis nigra mortuorum
Antra luſtrabit, trahet inde patres
Debitos cœlo, minuetque regnum
Mortis & ignis.
Has Magus voces vbi protuliſſet,
Totque fixiſſent gladij parentem:
Tertius plenam quatiens acerram
Tura cremauit.
Vtque maternos aliqua dolores
Parte leniret, iubilemus, inquit,
Virginum Princeps, etiamque maior
Gloria matrum.
Bis ſacrum Titan oriens ſepulchrum
Cernet immotum: vigiles iacebunt
Propter armati, tamen ille victa
Morte reſurget.
Surget à letho neque corporali
Sarcina preſſus, neque rurſus vlla
Damna paſſurus, penetranſque opaca
Clarus, vt aſtrum.
Talis hyberno coluber ſub antro
Triſte deponit ſenium, breuique;
Aurea ſquamma, viridique tergo
Flammeus exit.
Talis extremæ propior ſenectæ
Læta componit ſibi buſta Phœnix:

Mox

Mox odorata volat è fæuilla
Alter, & idem.

Gabrielis Archangeli Hymnus, Ode Vndecima.

COnstat excelsas super astra mentes
Inter accentus homines iuuare
Req; in hac magnum studium locare
Omnibus horis.
Gratias ergò socijs agamus,
Audiant nostras vbicunque laudes.
Cæterùm cunctis hodie ministris
Ante feratur.
Regius magnæ Genitricis hospes,
Dexter interpres superi Parentis
Iussus vt nostram strueret salutem
Numine nato.
Abstulit morti Raphael Tobiam.
Luget Infernus Michaelis arma.
Ille vim letho rapiens, & Orco
Sospitat orbem.

Sanctæ Crucis Hymnus, Ode Duodecima.

ECce Crux Christi. Iubet hæc videre
Carnis absentis varios dolores,

Pendulos

Pendulos artus, sine veste corpus,
Tentaque membra.
Cernite insontem medio latronum,
Et pedum diras, manuumque plagas,
Spongiæ succos, radios coronæ,
Militis hastam.
Anguis, vt primum superauit Adam,
Sic Adas anguem superat secundus.
Vicit in ligno Sathan, inq; ligno
Vicit Iesus.
Crux salus mundi columenq; salue,
Certa spes cœli, sine fine vita,
Grandis vltoris Domini triumphus,
Grande trophæum.

Michaelis Archangeli Hymnus. Ode Decimatertia.

DIgnare Rector Cælitum
Audire linguas supplicum,
Et gesta summi Principis
Contra rebelles ætheris.
Nemo tuorum militum
Cæleste gessit prælium
Maiore cordis robore,
Nec plus fideli pectore.
Infida, fratres, agmina
Forti fugauit dextera.

Illos

Illos ruentes nubibus
Ingens vorauit Tartarus.
Hunc mitte, Iesu, desuper,
Vt nos inermes fortiter
Defendat, & dum viuimus,
Compescat Orci spiritus:
Qui nos amicos illius
Pellunt ab altis sedibus,
Quas tu parasti sanguine
Nobis tenendas perpetim.
Sit trino & vni gloria
Per trina mundi tempora,
Quæ sunt, fuerunt anteà,
Et quæ sequentur posteà.

Gabrielis Archangeli Hymnus. Ode decimaquatta.

CHriste pax mundi, tamen orbis vltor,
Incapax mortis, neque mortis expers,
Rex prius sæuus, modò mitis agnus
Omnia solus.
Gens canens semper tibi, Sancte, Sancte,
Adiuuet nostri modulamen oris:
Ciuis vt summi, Gabrielis inquam,
Acta canamus.
Regis æterni graue & obstupendum
Doctus arcanum tulit ad Mariam.

Iunxit in fœdus duo diſſidentes
Nuntius orbes.
Actus in cœlum, quod in orbe noſtro
Liquerat numen, reperit reuerſus
In ſinu Patris, neque deerat afflans
Spiritus ignem.

Diui Pauli Apoſtoli Hymnus. Ode decimaquinta.

TV Ieſu amoris impotens
Manus ab hoſte contines:
Virumque ſanguinarium
Iubes abire ſoſpitem.
Iubes benignus inſuper,
Honoris eſſe vaſculum,
Vbi deinde conderes
Opes inæſtimabiles.
Flagrans amore ſpiritus,
Deique ab ore prodiens
Fuit magiſter illius,
Vt eſſet ille Gentium,
Dato ſupernè ſomnio
Iubetur vnus omnium
Adire viuus æthera,
Domos videre cœlitum.
Sphæris duabus altior
Videt Dei recondita,

Tacere iussus omnia
Grauissimo silentio.
Videt perenne gaudium,
Bonique mille nomina
Negata semper auribus,
Nec vlli aperta visui.
Nec vlla cogitatio
Nostris profecta mentibus,
Nec vlla cordis optio
Quit tam profunda consequi.
Stupenda liberalitas
Manum datoris indicans
Tuis profunde munera,
Vt hinc petamus æthera.
Sit absque fine gloria
Deo, Deique filio,
Tibique Sancte Spiritus
Per vniuersa sæcula.

Diui Lazari Hymnus.
Ode decimasexta.

IAcebat ille Lazarus
Futurus esca vermibus.
Ibi diem nouissimum
Manebat instar omnium:
Nisi misertus hospitis
Fuisset Autor ætheris

Super iacente lacrumans,
Opemque patris inuocans.
Quater rotarat Hesperus,
Eratque fœtor artubus.
Vbi profunda manium
Domus reclusit ostium,
Recurrit vmbra mortui
Viam tenacis atrij:
Eam cadauer accipit,
Foras sepultus exijt.
Stupet reuersus Inferis
Refecta membra corporis:
It, est, vt antè fecerat,
Et ore vbique clamitat.
Patrem per omne sæculum
Canamus, atque filium:
Nec his careto laudibus
Fluens vtroque Spiritus.

Gabrielis Archangeli Hymnus. Ode decimaseptima.

Diem fugauit Hesperus
Vocatus antè Lucifer.
Hostile nomen admonet
Genu, caputque flectere,
Pioque more supplicum
Sacram rogare Virginem,

Vt hæc

Vt hæc quotannis Vespera
Suo sacrata Nuntio
Dei fauore polleat,
Et absque labe transeat.
Tuum est Beate Gabriel,
Idem precando poscere,
Vt ille mortis artifex
Queat nocere nemini,
Suique in antra carceris
Recedat exul ætheris.
Quod est vbique gloriæ,
Eritque eunte tempore,
Fuitque ab ipsa origine,
Id omne detur vnico
Patri, Patrisque Filio,
Tibique, Sancte Spiritus,
In vnitate tertio.

Diui Laurentij Hymnus.
Ode decimaoctaua.

AVrora Noctis terminus,
Lucisque origo purpurat,
Rosisque manè concolor
Diem propinquam nuntiat:
Quæ sola victis ignibus
Virum triumphantem obstupet
Dictum futura cœlitus

A laurea Laurentium.
Nudos ademptis vestibus
Vt vidit artus carnifex,
Pulchri misertus corporis
Fudisse fertur lachrymas:
Nullas cremandus protulit,
Sed fronte læta permanet.
Vrebat ira Præsidem
Falsi ministrum numinis.
Cratis iacenti subditur,
Et sicca crati robora.
Augentur ignes ignibus,
Prunisque prunas aggerant,
Carbone factus nigrior
Albo iacebat lectulo,
Sed parte tostus dextera,
Igni sinistram præbuit.
Versò in fauillas corpore
Mens nil doloris senserat
Intenta Regi Cælitum,
Cui se beata vouerat.
Reliquit illum spiritus
Auro recocto purior.
Talique lecto dormiit
Christi fidelis signifer.
Fleuere multis imbribus
Largum datorem pauperes,
In quos Leuita fuderat

Opes

Opes relictas præsulis.
Linquamus ergo desides
Cognata mortis somnia,
Surgamus à torporibus,
In queis iacentes stertimus.
Sit trino & vni gloria
Per trina mundi tempora,
Quæ sunt, fuerunt anteà,
Et quæ sequentur posteà.

De conuersione Diui Pauli. Ode decimanona.

D*Eus futura prævidens,*
Sciens profunda cordium
Quis hoc in orbe percipit
Tuas ad astra semitas?
Vir ille missus, vt Crucis
Amica corda perderet,
Nihil reliquit asperi
Genus fidele persequens.
Malos ad hoc satellites,
Et arma multi formia
Ferebat hostis insolens
Mali minister efficax.
Sed obuiante vindicis
Dei furore territus:
Simulque verba flammea

Dei loquentis audiens
Repentè Saulus excidit
Equina terga deserens,
Et vtriusque luminis
Diem pupilla perdidit.
Statimque dixit: O Deus,
Tuum est iubere, quod velis,
Meumque velle, quod iubes.
Nihil recuso iam tuus.

De Ecclesia militante & triumphante Ode vigesima.

BEata tu Hierusalem
Pia vrbs, potensque prælio.
Genus fidele, milites:
Homo Deusque signifer.
Vt vt resistit hostibus
Cohors perempta Martyrum,
Aguntque multa fortiter
Fame, sitique debiles!
Fides in arce nubila
Latet: sed inde clamitans
Per aurium foramina
Fouet profunda cordium.
Adest vbique Charitas
Opem ferens egentibus,
Gementibusque condolens,
Sui frequenter immemor.

Stat ore Spes amabili,
Et aſtra monſtrat indice,
Parata pro doloribus,
Laboribuſque præmia.
Cedri hac in vrbe, myſtica
Secantur atque marmora,
Vt expolita in alteram
Ferantur Hieruſalem:
Vbi eſt inexplicabilis
Sedens in altitudine,
Cui adeſt miniſter angelus,
Et omnis ordo Cœlitum.
Ibi eſt beata manſio,
Et alma pax fidelium,
Vt à Syone traditur,
Eritque vita credere.
Pater ſupremus omnium
Nouæ vrbis autor extitit:
Opus peregit obſequens
Suo labore filius.
Subiuit ipſe marmora,
Et ipſe ligna ſuſtulit,
Fuitque maſſa glutinans
Sacro ſubacta ſanguine.
Caro forata quinquies
Aperta præbet oſtia:
Nec introire poſſumus,
Niſi per illa vulnera.

Locantur intus aduenæ
Gradata per ſedilia.
Habetque quiſque gloriam,
Vt Architectus ordinat.
Parata cuique portio eſt
Honoris,atque gaudij,
Vt hoc in orbe contigit
Magis,minuſque perpeti.
Tholus ſupernè viſitur
Signatus Agni imagine,
Caputque claudit anguli
Dei,atque carnis vnio.
Mouentur arte muſica
Rotæ,globique ſiderum,
Vt vniuerſa ciuitas
Melos perenne ſentiat.
Sonant ſupremo in æthere
Tot ora multiformia,
Io triumphe Martyres:
Io triumphe Virgines.
Canunt profunda dexteri,
Siniſtri acuta perſonant.
Dat armonîa multiplex
Id vniforme canticum:
Sit abſque fine gloria
Deo,Deique filio,
Tibique,Sancte Spiritus,
In vnitate tertio.

De

De Annuntiatione Sanctissimæ Virginis Matris.

Ode vigesima prima.

ERant in vrbe Nazara
Duo pudoris lilia,
Tori maritus abstinens,
Habensque virgo coniugem.
Maria nomen vnius,
Erat Iosephus alterum.
Erant vterque Regia
Dauidis ex prosapia.
Legebat illa clanculum,
Quod Hesaia scripserat:
Virum puella nesciet,
Dabitque plena filium.
Ad hanc venire Gabriel
Dei iubetur Angelus.
It almus, atque cernuus
Salutat ore Virginem.
Aue puella Cœlitum
Fauore plena, tecum herus,
In omnibusque fœminis
Beata tu vocabere.
Quid istud est, quod audio?
Hic vnde fulgor ædibus?
Quis iste clausa transiens?
An vt videtur, Angelus?
Probè Maria cogitas:

Sed

Sed,oro,ne time amplius.
Habes abundè gratiam,
Erisque mox puerpera.
Memento pignus editum
Vocare Iesun.Hic erit
In orbe magnus & potens,
Soboles Dei vocabitur.
Sedebit iste paruulus
Super thronum Dauid patris:
Et imperabit in domo
Iacob per omne sæculum.
Bene est,Minister ætheris,
Modum,viamque nescio,
Mihi est amata castitas,
Et omni amanda tempore.
Supremus ille Spiritus
Dei,cubile proteget,
Erisque Mater vnica,
Simulque prima Virginum.
Ratum est,quod aure percipis.
Id esto signum:Elisabeth
Tuum genus tremens anus
Suo est propinqua partui:
Habebit illa masculum
Eunte mense tertio.
Ea est Dei potentia,
Et amplitudo numinis.
Herilis ecce seruula

Tibi libenter obſequor.
Tuum eſt iubere,quod velis.
Meumque velle,quod iubes.
Vt hæc Maria contremens,
Humique fuſa protulit,
Dei repentè filius
Tulit venire deſuper,
Et eius alma viſcera
Sacro replere numine,
Homoque factus eſt Deus,
Deuſque factus eſt homo.

Gabrielis Archangeli Hymnus. Ode vigeſimaſecunda.

CVM Stella Soli præuia:
Noctem,diemque diuidit
Mira nitoris copia:
Tunc iuſſa ſummi Principis
Ad parua fabri limina
Portabat ales ætheris:
Aueque plenum gratia
Genas rubore purpurans
Audiuit Annæ filia.
Orabat illa clanculum,
Cùm ſe videndum præbuit
Legatus immortalium.
Sed hoc manebat irritum,
Niſi hæſitante Virgine

Statim

Statim fuisset additum:
Qui te creauit vnicam,
Omnesque supra fœminas,
Hic te replebit integram.
O quanta cœli gaudia
Fuere! Quanta sontibus
Venere terris commoda!
Cùm virgo princeps Virginum
Respondit internuntio:
Placet voluntas cœlitum,
Te propter ergò, Gabriel,
Reuixit omnis Israel,
Et ortus est Emanuel,
Per te, beate Spiritus,
Omnes ab Eua posteros
Antiqua laxat seruitus.
Sit sempiterna gloria
Tibi, Beata Trinitas,
Per sempiterna tempora.

De se ipso in Quadraturam circuli.
Ode vigesimatertia.


VOcabar antè Circulus,
Eramque curuus vndiq;
Vt alta Solis orbita,
Et arcus ille nubium.
Eram figura nobilis,
Carensque sola origine,

Carensq; sola termino.
Modò indecora prodeo
Nouisque fœdor angulis.
Nec hoc peregit Archytas,
Neque Icari pater, neque
Tuus Iapette filius.
Quis ergo casus, aut Deus
Meam quadrauit aream?
Ad alta Turiæ ostia,
Lacumque limpidissimum
Sita est beata ciuitas:
Parum Saguntus abfuit:
Abestque Sucro plusculum.
Hîc est poeta quispiam
Libenter astra consulens,
Sibique semper arrogans
Negata doctioribus.
Senex vbique cogitans,
Sui frequenter immemor,
Nec explicare circinum,
Nec exarare lineas
Sciens, vt ipse prædicat.
Hic ergo bellus artifex
Tuam quadrauit aream.

De Epiphania Domini.
Ode vigesimaquinta.

QVI cupit Christum puerum videre,
Hic voluptates orientis æui

Linquat, & vitæ memor occidentis
Spectet ad astra.
Vitet infernæ iuga seruitutis
Qui studet sanctas reperire cunas.
Tres iubent Reges puero exhibere
Libera corda.
Æs nitens Regi datur in tributum,
Myrrha mortali datur ad sepulchrum,
Thus sacerdoti datur, vt paternum
Numen adoret.
Ille dat paruo sua thura Christo,
Voce qui sancta Superos adorat.
Ille dat myrrham, sua qui gemendo
Crimina luget.
Ille thesauros aperit benignus,
Atque regali puero dat aurum,
Qui recordatus Domini indigentis
Pascit egenos.
Talis infernum sapiens Herodem
Fallet, & tutum per iter reuersus
Patrium Christo duce possidebit
Victor Olympum.




OPERVM POETICORVM IACOBI FALCONIS VALENTINI.

LIBER III.

ELEGIÆ, ECLOGÆ, SATYRÆ.

Paraphrasis Psalmi 50. Miserere mei Deus. Elegia prima.



E Deus imploro, qui blandè crimina tractas.
Culpa mea est ingens, sit tua larga manus.
Ad te confugio, qui nunquam parcere cessas.
Tot solitus culpas tollere, tolle meas.
Nec satis est abolere nefas, hoc amplius oro,

Vt cum lotus ero, plus mea corda laues.
Nil sceleris linquas, etiam vestigia dele,
Nesciat in nostrum culpa redire caput.
Multa & magna peto, quia multa & magna peregi
Crimina, quæ video nocte, dieque memor.
Ante oculos semper stat facti illius imago,
Et nunquam à nostro pectore lapsa cadet.
In te peccaui non primum, siue secundum,
Sed solum in cælo. Quæ mihi pœna satis?
Nec feci imprudens, te coram stare videbam:
Testis es, & iudex. Vnde petenda salus?
Iure dabo pœnas: sed vbi promissa Natanis,
Et data spes nobis & tua, iuste fides?
Me pater infecit corruptus labe paterna,
Meque, scelus, genuit de scelere orta parens.
Tu Deus es verax, nec mentiar: en tibi seruus,
Cui tu credebas intima sensa prius.
Ille ego sum puluis, quem cæli arcana docebas.
Olim tam largus cur modo parua negas?
Sume manu hyssopum, culpamque aspergine lustra.
Vnica me iustum reddere gutta potest.
Quin etiam niuea cæli plus parte nitebo,
Si mea digneris corda lauare magis,
Quam felix erit illa dies, cùm voce benigna,
Iustus abi, dices. Spes ea certa manet.
Nec tunc sola caro, verùm ossa expertia sensus
Lætitia exurgent, quæ modò strata iacent.
Credo quod hoc differs, quia spectas crimina semper,
Quantò

Quantò plus cernes, oderis illa magis.
Verte ab eis oculos, nec tantùm has dilue culpas.
Sed quoque venturas hac ratione veta.
Cor mihi tolle datum, labes hæc prima malorum:
Mens quoq; non sana est, hanc quoque tolle Deus.
Fac vtrunque nouum, sit cordi nulla libido,
Rectaque mens semper viscera nostra regat.
Deprecor hæc supplex, ne rursum ad crimina voluar
Simque tibi inuisus, proijciarque foras:
Amittamque iterum Diuini numen amoris,
Et fundam rursus, quas modò fundo preces.
Spero tuus venit promissus filius olim.
Sed mihi non veniet, si mea culpa manet.
Hanc lætam spem redde mihi, nati que patrisq;
Sub scribat sancta Spiritus ille manu
In me monstrabo, quam sis placabile numen.
Nemo me cernet, quin tua facta legat.
Reque mea docti ponent sua crimina sontes,
Seque tibi reddent impia corda virùm.
Sanguinis effusor crudelis debeo pœnas,
Sed tu parce Deus, tu mea certa salus.
Laudabo cœli leges, & mite benigni
Iudicis ingenium, iudicijque modum.
Nil sine te possum, tu pandes organa vocis,
Inque tuas laudes tu mea labra reges.
Mille tibi laudes, verùm clementia maior:
Hanc mea vulgabunt ora per omne solum.
Sumere si velles à peccatoribus exta,

Iam tibi mactassem corpora multa boum.
Sed tu muneribus non delectabere nostris,
Hostiaque in flammis nil nisi fumus erit.
Ille tibi nidor gratissimus, intima cordis
Tristitia ob culpas, sumptaque pœna manu.
Cor verè afflictum, consternatumque dolore
Tu nunquam irato despicis ore Deus.
Ne propter culpam Regis confunde Sionem,
Sed benę fac domui, cui bene velle soles.
Sicque tuus crescat populus, cogatur vt olim
Sancta nouos muros ædificare Salem.
Nos vbi reddideris iustos, gratissima fient
Sacra tibi, & fruges offeret omnis ager,
Tunc pingues tauros mactabimus, & super aram
Ponent anniculi lactea membra boues.

Lamentatio Ecclesiæ Matris in Lutherum. Eleg. secunda.

PRoh dolor, incepit postquam dare verba Lutherus,
In me iurarunt perfidia, atque furor.
Nec iam Paulus habet, quẽ sensum viuus habebat:
Nec nunc est qualis littera sacra fuit.
Omnia corrumpunt, quæ Patres aute colebant,
Perque suos venit summa ruina gradus.
Nec medicas adhibere manus, succosque salubres
Profuit, ægrescit tale medendo caput.

Cuncta sacerdoti laxauit fræna sacerdos,
Ordineque indignus desijt esse sacer.
Virginibus sacris migrandi facta potestas,
Et Christi sponsas omne lupanar habet.
Ossaque sanctorum iam non sacraria seruant
Aurea, calcantur per fora, perque vias.
In templis clauduntur oues, iumenta per aras
Cernimus, aut porcis sacra habitatur humus.
Quẽ rear hunc hominẽ, qui matrem occidere gaudet,
Romanoque Patri nescit habere fidem?
Cuius in exortu planetis quinque cremata est
Nona domus cœli, religiosa domus.
Omnia dant signum, restat formidine sola
Arescant homines, Lunaque Solque cadant.
Credite mortales, si non surrexit Iudas,
Si non accepit carnea membra Sathan,
Finis adest mundi, iam iam imploremus Eliam:
Venturus falso nomine Christus hic est.

In Amorem.
Elegia tertia.

AVrea nimirum Saturni dicitur ætas:
Deerat adhuc illo tempore sæuus Amor.
Ferreus ille puer, puto, ferrea sæcula fecit,
In quibus, vt perhibent, editus ipse fuit.
Editus à scopulis, non á Cythereide Diua,
Falso vt fama canit, forsan amare timens.

Blanda Venus, credo, blandum genuisset Amorem,
Non trucem, & indomitum, dissimilemque sibi.
Rara columbino de semine nascitur ales
Prædatrix, taurum rara creauit ouis.
Fortis erat Peleus, fortem produxit Achillem,
Cantorem genuit cantor Apollo Linon.
Conqueror, & meritò: pœnarum quicquid in Orco
Fingitur, in me vno verificauit Amor:
A rabido Tityus discerpi vulture fertur,
Nec perit, vt possit sæpè perire iecur.
Ille ego sum Tityus volucri discerptus Amori,
Vtque iecur Tityo, sic mihi vita nocet.
Tantalus vt multò sitiat magis, aspicit vndam
Labentem iuxta, nec sinit vnda capi,
Par fortuna mea est, nanque vt me sæuius vrat,
Implet pollicitis verba daturus Amor.
Impius Ixion fertur sine fine rotari:
Et nescire diem, quo graue sistat iter,
Ixion ego sum, spe circumuoluor inani,
Nec requies vllo tempore certa datur.
Magne Pater Diuum, quid tela Cyclopea cessant?
Et tua vis ingens, & tua dextra potens?
Non sinis anguipedes cœlo regnare Gigantes,
Pareat vt puero terra polusque sinis?
Cui faber est genitor, cui vana & adultera mater,
Lumina cui desunt, is tibi terror erit?
Obruis Enceladum terrentem sidera vultu,
Te contra vires mollis habebit Amor?

Pelion

Pelion euertis, mollem non fregeris arcum?
Te non Ossa tulit, parua sagitta feret?
Haud dubium est, idem, si viribus vteris isdem,
Qui fuit Enceladi, finis Amoris erit.
Magne Pater Diuûm, quid tela Cyclopea cessant?
Et tua vis ingens, & tua dextra potens?
Vix Phaeton flammis incendere cœperat orbem,
Cùm fuit extinctus fulminis igne tui.
Quod Phaetòn cœpit, peragit iam penè Cupido,
Nec face compescis, qua furit ille, facem.
Turpe Iouem puto cum puero contendere Amore,
Turpius à puero talia probra pati.
Me miserum quid vana loquor? Nec Iuppiter audit,
Nec nisi sit stultus, talia bella geret,
Maluerit pacem vires expertus amoris,
Ne posito rursum numine taurus amet.

Ad Ianuam Amasiæ, Elegia quarta.

PAnde iter ad dominam, crudelis ianua pande
Cur mihi tam longo tempore clausa manes?
Non ego dentato secui tua viscera ferro,
Cum frondosa frutex, aut grauis arbor eras.
Nec manus hæc duros hominum te traxit in vsus
Nec memini antiquas dilacerare comas.
Imo ego cum potui tua limina frondibus auxi
Causaque cur esses diues odore fui.

Tum quoties aliquis tua fortiter ostia pulsat,
Ille mea incusso stipite corda quatit.
Sic tcor absentem Meleagrum torruit absens
Stipes, & est flammis factus vterque cinis.
Grandine cum læsa es, contra cœlumque Iouemque
Centenas optant brachia nostra manus.
Clausa manes? Credo quod sis ex arbore cæsa
Quæ tantum in salebris, verticibusque viget.
Non alnus, non laurus eras, sed rustica pinus,
Rusticitas nobis indicat vnde venis.
Quid loquor? hæc etiam riuales Ianua pellit,
Et cogit tristes ante iacere fores.
Da veniam, credo quod sis ex arbore cæsa
Quæ tantum in ripis marginibusque viret.
Non ornus, non pinus eras, sed nobilis arbor,
Nobilitas nobis indicat vnde venis.
Fallimur, an tristis mouet querimonia postes?
Fallimur, irato turbine ventus agit.
Nunquid atrox Boreas nostri non inscius ignis,
Cum palla & ventis auxiliator ades?
Huc ades & furijs ingratos deijce postes,
Frange cathenatæ ferrea claustra seræ.
Quid loquor? irasci ventorum maxime noli,
Sopitum dominæ suspicor esse caput.
Parce mei causa placidam turbare quietem
Pendet ab illius nostra salute salus.
En iam mane redit, limen postesque valete
Per quos subdio fanda nefanda fero.

Obruor heu saxis cum sæuus grandinat æther,
Cum pluit hyberna membra gelantur aqua.
Cum quæror, ad dominam quæstus intrare vetatis
Extra vestibulum tota querela perit.
Cum canto: ad miseras moriuntur carmina valuas,
Cum præcor exclusas dissipat aura preces.
Quid vobis optem postes pro crimine tali?
Vos caries rodat, vos meus ignis edat
Quid tibi pro tanta limen feritate præcabor?
Rumparis pedibus transgredientis equi.
Quid loquor? immeritò patitur conuitia limen,
Has ignominias non meruere fores.
Languebam memini, nec rectus stare valebam
Sustinuit limen triste iacentis onus.
Nox erat, absentem mecum indignabar amicam
Imminuit curas ianua facta comis.
Quid vobis optem postes pro munere tali?
Reddatur frondis qui fuit ante decor.
Quid tibi pro tanta limen mercede præcabor?
Tangaris planta prætereuntis heræ.

THEON.
Ecloga prima.

EST *domus in syluis, quæ tota cupressibus altis*
Cingitur, ipsa tamen cupressibus altior exit.
Ante meat fluuius, lateri diffunditur hortus,
Quem rosa, quē myrtus, quē plurima laurus odorat.

Hanc Theon ante domum, paſtor depulſus ouili,
Sæpe cruentatæ repetens vmbracula mori
Talia nequicquam iactabat carmina ventis.
O Satyri, ô Dryades, ô ruſtica numina Fauni,
Hæc eadem, hoc ipſo frondebat margine laurus.
Has memini ad ripas, hanc iuxta fluminis vndam
Daphnis erat, cum dicta dedit mihi talia Daphnis.
Paſce per arua gregem, noſtri gregis eſto magiſter.
Turiades Nymphæ, Nimphæ, quæ fluminis huius
Incolitis ripas, & tecta virentia muſco,
Hoc audite nefas, repetiuit munera Daphnis.
Nec minus admiror, ſylueſtria numina iuro,
Quàm ſi retrorſum voluantur flumina, quàm ſi
Vinea det glandes, vuis exuberet ilex,
Aut partu daret agna lupum, lupus ederet agnum
Venit ab herboſo Iordanis flumine paſtor,
Paſtor iners, comptus vultu, non aptus ouili.
Illius aduentu, tanquam Pan ipſe veniret,
Protinus exul agor, paſcit pecus aduena paſtor,
Nititur & baculo, quo nitier ante ſolebam,
O nemorum regina Dryas, quæ proxima Daphni
Tecta tenes, quam noſter amat ſuper omnia Daphnis
Cirilus inter oues ouium veſtitus amictu
Lacte ſatur, dulces paſtorum cantat amores,
Ad fontem cum Phœbus adeſt, cum frigus ad ignẽ,
Et gaudet: ſua cuique placet ſylueſtris auena.
Nos hyemem nudi patimur, ieiunia macri.
Cirile, Di faciant, vt mecum protinus exul

Quam patior patiare famem, victumque petenti
Terra neget victum, sitienti flumina potum,
Si miser ardebis, flagranti frigora flagrent.
Si miser algebis, frigenti frigeat ignis.
Quid moror his demens? Tanquam mihi præbeat aurem
Iuppiter, aut aliquis syluestri à stirpe Deorum.
Grata Ioui quercus, Cybeli charissima pinus,
Alcyones Thetidi, Veneri sunt cura palumbes,
Pan armenta colit, Syluanus & arbuta nutrit.
Omnibus his adsunt, vni mihi numina desunt.
O nemora, ô montes, ô dulcia prata valete.
Hospitium mutare libet, quid demoror vltrà,
Mortales vbi corda gerunt tam saxea gentes?
Si queror ad montes, montes lamenta remittunt,
Tristè queruntur aues, frangunt suspiria rupes.
Omnia tristantur, marcescunt omnia mecum,
Vnum non possunt suspiria flectere Daphnim.
Ah memini nuper, media cùm nocte iacerem.
Visus adesse mihi tali cum munere Daphnis,
Pasce per arua gregē, rursùm gregis esto magister:
En baculus, quo mane pedum vestigia firmes.
Hei mihi somnus erat, somnus, munusq. recessit.
Quid tamen heu tanto demens exareo fletu?
Post hyemem ver mulcet agros, post nubila soles
Apparent, micat alma dies post tempora noctis.
Sidera non semper voluuntur motibus isdem.
Forsan & in melius mutabit pectora Daphnis.

DAPH.

DAPHNIS.
Ecloga ſecunda.

Aſtacus, Almo, Theon.

EST locus haud ingens, frondoſæ vallis origo,
Semper ſole carens, horroris plenus & vmbræ:
Humanæ nihil artis habet, nec deficit ingens
Artis opus: fuit ipſa loci natura magiſtra.
Stat dextra, læuaque ſilex, à fronte fragoſo
Mons hiat anfractu, de vertice labitur amnis.
In medio ſaxum ſedem paſtoribus offert
Hic ætate pares puer Aſtacus, & puer Almo,
Aſtacus armenti, niuei gregis Almo magiſter,
Certabant calamis, nec erat fiducia diſpar.
Ecce Theon paſtor paſtori gratus vtrique
Improuiſus adeſt, & cantibus arrigit aures.
Aſt. Cum canerem nuper me Thurius audijt amnis,
Proq; hedera & lauro redimiuit arundine frontem.
Al. Ornauit quoque fronde pari mihi tempora Sucro
Et, puer, ô, dixit, maiora merebere maior.
Aſt. O Corydon, Corydon, nobis tua fiſtula ſeruit:
Nec dubitant canna mecum certare paluſtri.
Al. An mihi Peligni deſit paſtoris auena?
Hac ego, certatum ſi venerit, Orphea vincam.
Aſt. Quin etiam curſu teſtudo prouocat Euros,
Bella grues aquilis indicunt, tigribus agnæ.

Al.

Al. Eia agè si quod habes, profer laudabile carmen,
Et simile huic aliud sensu non dispare reddam.
Ast. Flos apibus fessis, nautis errantibus Arctos,
Præda reperta cani, dulcis mihi filia Mopsi.
Al. Ver auibus lætis, pratis sitientibus humor,
Agna perempta lupo, dulcis mihi Mopsea virgo.
Ast. Tu quoq; si quod habes, profer laudabile carmẽ,
Et simile huic aliud sensu non dispare reddam.
Al. Laus ouium vellus taurorum gloria cornu,
Barba decus capro pastori fistula concors.
Ast. Tonsor ouem fœdat, frons exarmata iuuencum,
Os imberbe caprum, pastorem fistula discors,
Th. Ecquis erit finis? Iam iam certamina, tempus
Ponere, vesper adest, & res ingentior instat.
Valle sub hac nuper vidi lachrymabile funus
Daphnidis illius, qui nostra mapalia rexit.
Al. Vera refers? Daphnim mors nè abstulit impia?
Daphnim.
Aurea cui summo pendebat ouicula collo,
Cuius erat baculus, qui vertice tangeret astra?
Th. Hunc ipsum his oculis, oculis his Astace vidi.
Impositum feretro, & magna sub mole sepultum.
Hinc Pan, inde Pales, hæc cantibus, ille querelis
Implebant syluas, resonabant tristia syluæ.
Tu quoque coniferam gestans Syluane cupressum,
Non aberas illic, aderat quoque magnus Apollo
Nube caua, densáque oculos caligine tectus.
Venit agens fluctus lachrymarum flumine largo
Sebetthus

Sebetthus venit lachrymans quoque Turius amnis.
Venerunt tecti peraducto subere Fauni.
Quisque Deus tumulo diuinos sparsit odores.
At nos pastores nostro de Daphnide carmen
Triste aliquod modulemur, amauit carmina Daphnis.
Ast. En nocturnus agris humor redit incipe cantus
Almo prior, tu deinde Theon, sequar Astacus ambos.
Al. Heu dolor, en vt oues conuersæ ad sidera balant,
Et Daphnim Daphnim ore suo clamare videntur.
En vt aberrantes per summa cacumina capræ
Collustrant syluas, si Daphnim cernere possint.
En quoque tabentes vitulos, ad pabula pastor
Non illos, ad plena vocat non vbera mater.
Maior cura illis Daphnim vndiq; quærere Daphnim
Sed frustrà labor omnis, habet bonus æthera Daphnis.
The. Daphni decus nostrum, quis te non flebit ademptum?
Ante tuos obitus præbebant gramina colles.
Nec viola in pratis, nec fons natiuus in hortis.
Nec rubor in pomo deerat, nec vitis in vlmo.
Omnia nunc aliter: postquam nouus accola cœli
Deseris hos colles, arent in collibus herbæ,
Prata carent violis, natiuis fontibus horti,
Pallor inest pomis, vites moriuntur in vlmis.
Ast. Daphni tuas laudes alni fagique loquuntur,
Et cum corticibus pariter tua gloria crescit.

Daphni

Daphni tuos obitus vt fagi alnique querantur,
Et cum corticibus fatorum iniuria crescat,
Ipse pererrabo syluas, atque omnibus alnis,
Omnibus & fagis incidam hoc flebile carmen.
Triste arens flumen, tristis sine frondibus arbor,
Triste pecus tonsum, tristis sine Daphnide tellus.

DE VARIIS HOMINVM STVDIIS.

Satyra prima.
Ad Petrum Borgiam Montesianæ Militiæ Magistrum.

QVi tot mortales alienam, Borgia sortem
Laudant, nemo suam? Siue hanc accepimus ipsi
Consultò, aut nobis fortuna obiecit habendam:
Exclamat miles, cum præter vulnera & annos
Nil habet, ô hominum sors aurea mercatorum.
O felix bellum, mercator naufragus inquit,
Pugnant, quid refert? Pulcrum est occumbere in armis.
Quis non consultus paruum desiderat agrum
Ciuiles inter fluctus? Sed rusticus vrbem
Cùm venit ergo vadis, nil vrbi comparat amens.
Mitto alios centum. Namque omnes ordinis huius
Linguacem haurirent Fabium. Sed talia quorsum
Pertineant nescis? Illuc, si missus ad illos

Mercurius dicat: sit vestrum quisque quod optat.
Tu modò Mercator, sis posthac miles, & agri
Culturæ gnarus sit iuris deinde peritus.
Omnes abnuerint perfricta fronte, nec vltrà
Illorum vitam cupient, quos antè probabant.
Ergò facturus iure est pater ille Deorum,
Si buccas illis inflatas reddat, & aures
Obstruat ipse sibi, ne tales audiat vnquam.
Nil vltra fingam, ne tractem more iocantum
Rem tantam, ridens, quanquam licet: vt faciunt qui
Præmiola ostendunt pueris, vt noscere primas
Tentent litterulas, & notas ordinc reddant.
Sed missis præter ludis iam seriò agamus.
Si quis fortè roget: cur fractus membra colonus,
Venalique anima miles, semperque parata
Nautæ iactura, mersique in iure patroni
Tot mala sustineant? Sic facto opus esse, senes ne
Indigeant, subeantque aliena ætate laborem,
Scitè respondent, formica nempe magistra,
Quam labor exercet sextili mense, minorque
Frumenti grano, paruas fert illud ad ædes,
Atque opere assiduo grandis fit semita, scimus.
At simul ostendit se tristis Aquarius, illa
Quam laudas, nusquam apparet, seque abdita pascit
Olim quæsitis, tolerans mala pauperis anni.
Tu nè imitatorem te iactas illius? Vnde
Hoc oro? I per aquas, si dicat auaritia, ibis.
Per rupes curres, per cœlum, credo, volabis,

Vt vincas omnes opibus.Sed cur redit aurum
Illuc,vnde venit?Num crescet seminis instar
Sub terra positum?Num speras posse sepultum
Post mortem amplecti? Melius seruabitur, inquis,
Hoc pacto.Fateor.Sed si manet,vt miser optas,
Integrum,abit nummus,fitq;illicò inutile pondus.
Hoc ador immensum,tua quod terit area cuium
Esse putas?Domini.Non est.Cuium ergo?Fruentis.
Vtor ego.Vtaris.Verùm non plus tibi ventris
Quàm mihi concessit,qui nobis corpora finxit
Tā parua;ad reliquū venias,reliquū auferet emptor.
Nostin venales,quorum vnus reticulum affert,
Omnes vescuntur mensura panis eadem?
Hoc ego,tuq;sumus.Nam par est aluus vtriq;
Nec labor est idem,cum tu plus semper acerues.
Rus ego possideo sat magnum,tu regiones
Mille,quid intersit,si nondum percipis,audi.
Nil mihi deest,superest multum tibi paruū & inane.
Hoc est discrimen,si natura duce viuas.
Est tibi fonticulus,ne magno extinguere quæras
Amne sitim.Quare?Multarum opulentia aquarum
Me iuuat. Hinc multos aurata quos Tagus vnda
Inuitat,raptos è ripis in mare portat.
Qui sibi præscribit quantum vsus postulat,ille
Puriùs occultos latices,& tutiùs haurit.
Quid si ita reclamet stultorum turba? Paremus
Quisq;est idquod habet:quā magna est arca,fides est.
Haud ægrè huic generi permittas desipere,vno

Crimine disce omnes. Vir notus auaritia olim
Et locuples idem: sum totis risui Athenis,
Iactabat, sed plena domus cum me accipit, aio,
Me sapere, & miserum doleo insanire popellum.
Tantalus infelix medio sitibundus in amne
Nil capit humoris. Vis credam scilicet. Imò
Credibile & verum fecit tua fabula. Quænam
Multis æs riuis fluit in tua tecta, sed illo
Tanquam re sacra, non vteris, & quasi picta
Te tantum oblectas. Nescis quod rebus emendis
Natus sit nummus, contra frigusque famemque,
Atque alias pestes, quas fert natura molestè?
Tota dies teritur curis, studijsque lucrandi,
Et medium ad Ianum ningat, pluat, ire necessum est.
Nec semel à somno sic expergisceris. O nox
Quot mala fers tecum? Si sint incendia, quis rem
A flamma eripiet? Claues ceruical habet, sed
Quà deest illa teges, illac penetrare potest fur.
Cur mihi promisit Nouius sextertia centum?
Non egeo, ipse habeat, nolo illi credere mille.
Noui imposturam. Me primus Tilla salutat
Nobilis obscurum: perij, me emungere tentat.
Non faciet, credo, iam nunc respondeo, non do.
Has tibi delicias, oblectamenta, lepores
Res parit, His solis gaudes. O terq; quaterq;
Admirandum hominem! Quam fortunatior esses
Si mendicares, harum expers diuitiarum?
Scilicet est aliquis tanta inter pignora, somnos

Qui tibi conciliet, capiti hæreat, immolet agnam,
Vt valeas acri fixus pleuritide: frigent
Omnes, distorquent oculos, tu pectore anhelo
Clamas, vxor vbi est? vbi frater? filius? Audi,
Quid dicant taciti; tibi frater, filius, vxor,
Olim nummus erat, sternat lectum tibi nummus,
Vota Deo faciat pro te argentum, gemat aurum.
Sanguine si iunctos implores, longius absunt
Nec magis audierint, quàm fræno paret asellus
Ad cursum indocilis natura, & surdus habenis.
Tandem pone lucri studium, nec pauperiem vltra
Quàm par est, timeas, nec te cruciabis, vt ante,
Quærendo, optati compos, miser atque gemellus
Ne sis Vuidij, de quo pauca accipe. Regum
Hic æquabat opes, sed corpus veste tegebat
Seruili, metuens ne deficeret sibi victus
Ad multos annos, dumque hoc agit, ecce trucidat
Liberta hunc, plus Tyndaridis animosa duabus.
Quam, dic, ergò sequar te vitam autore? Iubes nè,
Vt sim Vicorbes, aut sim Gadaletius? Absit:
Ad punctum oppositum transires. Non ego, cum te
Fœda ab auaritia reuoco, iubeo esse profusum,
Infamemq; aliter: stat quædam in rebus agendis
Temperies, vbi rectum habitat, confinia peccant,
Nunc ad principium referor: ne laudet auarus
Se, damnetq; alios, cùm propter plenius vber
Vicinæ pecudis velit emori, & agmina tanta
Plus inopum nunquam sibi conferat, illius amplas

Optet opes, habitus spernat, maioribus instet.
Vt fit ab auriga, qui quamuis omnia vincat
Plaustra, vnum præter, socum illud, quod præit an te
Vincere conatur, temnit quæ multa sequuntur.
Hinc est, quod nulla quisquam est ætate repertus,
Qui dicat moriens, sortis conuiua beatæ
Vixi, & cedo satur. Nemo hunc sic deserit orbem.

IN MALOS POETAS Satyra II.

O Studia, ò mores! Quæ spes? Nulla herculè nulla.
Ipse pater vatum pecuaria pauit Apollo.
Est tamen hoc aliquid, satyra currente per vrbem
Tollier in nubes, & dicier esse poetam.
Nil miserabilius. Quis non hoc tempore? Quis non?
Sed dextram reuocare pudet, iam strinximus ensem.
Verba fœtum redolent, pars maxima carminis echo.
Hic bellè exclamat, bellè hoc, bellè illud, & illud.
Nil carbone notat, signat niger omnia gypso.
Hic hiat aduersus crepidam mordere paratus,
Figere si nequeat formoso in corpore dentem.
Audio iam luscum dicentem talia lusco.
Heus bone quid sentis? Quid deniq; ? Vatis Hetrusci.
Obseruat gressus, trito iam tramite currit.
Sed pedibus me posito meis, qua nemo viator
Luscus eat, licet ipsa regat vestigia filo.
Discite loripedes, docuit Iunonius ales

Orbiculum

Orbiculum viſa ſubitò diſſoluere planta.
O Vater, Vates! Hic addit, detrahit ille,
Forſan & ex vno diuerſus anhelitus ore.
Quæramus ſpeculum, quo vera tuentis imago
Apparere queat: ſed clamat, clamat Apollo
Quem vatem appellas? Adeon Parnaſſus inundat,
Vt riget Heſperiam? Cyrrhæi tanta ſoporis
Copia, vt Aoniæ vulgentur ſomnia rupis?
Virginei Partus. Nonnè hic exuberat, vt fons?
Sclops autem pluuialis aquæ, cui plurimus humor,
Multa ſalix circùm, nec rara vireſcit arundo:
Vranie. Hæc ne etiam iuſto ſine ſanguine vena?
Dura coli, ſed culta ſilex, nec neſcia fructus,
Dignaq; me, toties niſi reſpiraſſet arator.
Cætera pinguis humus, ſed & hæc inarata colono
Ignorat ſegetem diuerſæ fertilis herbæ.
Nunc igitur quiuis dicat venoſus & excors,
Cui crudus rimoſa teget calcanea pero,
Par opus Iliadi, dignum me vate poëma
Machinor, Herculeæ depoſcunt grandia vires.
Quid, precor, audiuit Pylades inſanius vnquam?
At ſapere heu poteras, ex quo tentauit iniquos
Conatus, hæſitq; tenaci vellere coruus.
Arma, virûm, Tu nè arma virũ? Quo robore fretus?
Scilicet Ætnei ſpirant è pectore folles,
Et tua membroſis Cyclopibus ingemit incus.
Ille quidem fortis, ſed in arbore pendulus hæret
Vatibus exemplum, ne quis præ viribus audax

Audeat annosas in partes scindere quercus.
Ecce alius rugas vni sibi credit abesse
Mirator, cultorque sui, & sè iudice Princeps.
Hinc illud subijcit, nullo sub iudice palles,
Damnatusque furis, quantum non dirus Orestes.
Infelix thus ergo tibi, & libitina parcitur.
Ad funus, rapto properet Pollinctor amomo,
Argigenes frustrà, frustra Polydaurius adsint.
Frustrà moly ferent: hoc nempe salubribus herbis,
Hoc ope Pæonia nescit mansuescere cancer:
O ego ter felix, olim cui sæpè Magister,
O puer aiebat ne captus imagine vana
Tu quoque Bœoto desigas lumina fonti.
Tabesces, hæc summa tui, si credulus hæres.
Tu quoque pars syluæ, ne te sine cortice natum
Finxeris aut fida pudeat splendere dolabra.
Vtile consilium firmauit candidus autor:
Quod neque summa dies perfecto temporis orbe.
Ipsè nec auellet Lethæi fluminis haustus.
Hinc aliquid, fortasse aliquid quod nesciat ignem,
Hæc inter segmenta sumus. Iactare videbis
Quadriuio in medio, centum sè carmina, centum
Scribere, dum vacuo pes alter in aere pendet.
Ter duplices licet, & decies quater insuper addas,
Examen tali nequaquam pondere verget.
Quin etiam liquido lixiuia smegmate misces,
Et centum efflata producis arundine bullas.
Optabunt illas vetulæ, puerique sequentur.

An

An petis vlterius quidquam, cùm carmina fundis
Mille, decem mille vllius vix gnara laboris?
Ille autem, quantis luctaui fluctibus, ille,
Cuius adhuc gemitus per carmina fracta resultant,
Fracta tamen, tua mersa vident, absorptaque fundo.
En vates per quos calami, atramenta, tabellæ
Venduntur pluris, tu spongia sola minoris.
Credere vix possis, quàm multi talia dicant:
Grande vetustatis specimen mea carmina præbent:
Hoc mihi, de me omnes, sed cæseus vnus & alter
Non semel à stulto cantantis decidit ore.
Inde cicatrices per scripta recentia vatum.
Tantaque scombrifero chartarum copia vico.
Quis ferat hoc vates, cui lar non longius absit?
Quem rapido inuitet vicinus Thuria fluctu?
Per me quæque suæ placeat vel Simia matri.
Per me nemo pater scelus audeat, ite pij, ite,
Fatalis tuta seruetur stipes in arca.
Tu qui tessellis alienis extruis ædem,
Appellasque tuam, furis? an frons excidit ore?
En fulgore suo produnt emblemata furem.
Ad summam hic nostris communis vatibus error,
Nemo parem sibi ferre potest, quique omnibus impar
Forsitan est, omnes sibi post habet: huius imago
Aurea indicio vulgi, tua ferrea fulget
Posthume, tam longas plebeculà ventilat aures.

DE PRÆSTANTIA ANIMI, Satyra. III.

CVR ego sim melior, sis vis audire docebo
Te paucis. Cupio. Sum te magis acer. Opinor.
Re maior. Credo. Pedibus velocior. Esto.
Nunquam par fueris forma, vel sanguine. Nunquam.
Ergò iam mecum sentis. Vnde istud amice
Colligis? Vnde inquis? Nil tu Barbate refellis.
Imo Gothides aurem tibi præbeo vtranque,
Vt dicas aliquid. Nam nunc nihil audio. Quarè?
Si res pugnaret cum re, cum robore robur,
Et tua cum nostris certarent oribus ora:
Nil melius: sed longè aliter, si vera fateris,
Res habet. Hæc summa est, vter vtro sit melior vir.
Quis locus hîc formæ? Quos exit robur in hostes?
Cur mihi respondet clausa thesaurus ab arca,
Et tuus ex alia splendor face? Num quia polles
Viribus, es robur? Quia præstas ore, venustas?
An quia rus habeas, terra es, quam scindit aratrum?
Finge tibi auferri plantæ velocis honorem,
Os deturpari, membra imbecillia reddi.
Et nihil ex opibus, nihil alta è stirpe relinqui.
Nonnè homo semper eris? Nil verius. Exue partem,
Qua sapis, & te hominem dic esse, omnesq; negabunt.
Ergo non aurum, non robur, non genus es tu,
Sed quædam mentis diuinæ particula, ob quam
Quid cœleste sumus. Quod si contendere tecum

Me

Me iubeas pedibus,vel viribus,accipe palmam,
Quam tradas lepori,quam tradas iure leoni.
Si tanti eſt aurum,ſpernet te ſordidus Atta,
Et ſum te melior,quia ſum te ditior,aiet.
Cur genus extollis?Vincit Scintillius infans,
Oreq; virus habens,& dicet,ſu melio ti.
Vincis me forma?te vincit Londinus efrons,
Iureq;te ſpernet,ſi tu me ſpernis ob ortus.
Si ſic officij tu ſis memor,vt bene rebus
Illis vtaris,re,forma,ſanguine,felix.
At ſi propter auos tantus te ſpiritus inflat,
Vt prope rumparis:ſi Nymphæ Infantis amore
Dignus amas aliam ſimilem tibi:ſi tibi ſeruit
Pes citus,vt bellè fugias:ſi fortia membra
Accipis,vt noceas:ſi magnis rebus abundas,
Et tibi parua negas,vt auaræ mentis Adellus,
Et Vico,qui ſoleis quàm plantis parcere malunt.
Tolle tibi has omnes bullas,& viue beatus
Si potes,his nugis,& toto gutture ſuffla,
Scilicet Ignatio melior,qui paupere vita
Et cœli auſpicijs meliorem reddidit orbem.
Qualem credis equum, qui carcere tardior exit,
Et venit ad metam multò prior,atq;ibi iuſſos
Dat facilis gyros,equitiq;induſtrius audit?
Credo, bonum dices.Sed nulla hic mentio patris,
Nullum de phaleris,aut pulcro tergore verbum.
Qualis item ſonipes,qui primus prodit in æquor,
Cùm tuba dat ſignum,metamque nouiſſimus ambit,

Effunditque equitem dorso,& male calcitrat asper:
Nonnè malus? Nequam. Quid si ille ignobilis esset,
Nec forma egregius, nec pulcro ornatus amictu?
Hic contrà gemmis,& sanguine clarus auorum,
Et glomerans altos vrbis per compita gressus?
Cui quem præferres ex his? Ne talia dicas.
Sanè illum multis optarem millibus emptum,
Hunc flocci facerem, mutaremq; asse libenter.
Scitè respondes: tu verò cuius imago
Huius, an illius? Dic verum deprecor. Huius,
Et dico,& doleo. Sed quid tum postea. Lætor
Quòd sapere incipias, ne præditus indole tanta,
Macte animo iuuenis desperes, principium plus
Dimidio est, aderoque tibi dum vita manebit.
Sed nunc incepti quod restat perfice mecum.
Cum sit equi virtus, non velox vngula tantum,
Sed facile obsequium, vin tu, quæramus vterque
Quæ nam hominis virtus illi respondeat? Eia
Quæramus, tua nanque sequor vestigia. Laudo:
Mens animæ est oculus, regiturq; hoc cæca voluntas,
Et regit insanas ira, vel amore sorores,
Plebe iamque animi partem, quæ cernit,& audit.
Temperat imperio, ne qua intrà pectora fiat
Seditio, atque illi seruilia membra rebellent.
Dumque iubent alij, atque alij data iussa capessunt.
Nescio quid nobis accedit, quod neque tempus
Aufert, nec ferrum, nec mors extrema malorum.
Quicquid id est, virtus illa est, quã quærimus ambo,
Formosam

Formoſam cuius faciem, ſi cernere viſus
Humani poſſent, miros afflaret amores
Ipſa ſui, & fulgens ad ſe omnia verteret ora,
Iridis in morem, ſtellæque binominis inſtar.
Hinc hominum facta, illa hominum, quæ ſola beatos
Reddunt mortales, ſpreto regaliter auro
Reddere captiuos, flammis imponere dextras,
Lege agere in natum, teſtari morte pudorem.
Nam reliqua in brutis multò perfectius inſunt,
Aut ea ſors repetit, tanquam ſua, vel grauis ætas
Paulatim minuit, ſaltem mors omnia tollit.
Sola igitur virtus noſtra eſt, atque vnica viuax
Poſt cineres, illam poſthac amplectere, ſi vis
Ante homines poni, & ſolis Dis eſſe ſecundus.

IN ALEATORES.

Satyra quarta.

QVIS *neſcit ſancti prima incunabula mundi?*
Cũ Deus ex nihilo naturã & magna creauit
Corpora, cũ terram arboribus, cum piſcibus æquor,
Ornauitque oculis cœlum, legeſque meandi
Impoſuit ſtellis, & nubibus addidit alas,
Et ſe tam ſtabilem mirata eſt pendula tellus.
Cum fas impleuit terras, hominemque recentem
Lactauit virtus, aluit ſine vulnere campus,
Ipſaque tempeſtas accepit nomen ab auro.
Tempore non alio Stygia ſub ſede repertos

Credibile est ludos. Quid enim Rhadamãtus, & omnes
Tartarei facerent inter tanta otia reges?
Quid furiæ, cum nulla nocens, aut Vulture digna,
Aut acri torquenda rota descenderet vmbra,
Vrnarumq; labor, saxiq; volubilis error
Puniret nullos commissa ob crimina manes?
Quæ tamen Alecto nostras hoc virus ad vrbes
Traxerit, incertum est: certũ est id serpere in omnes
Terrasq;, & populos, furijsq; accendere, vt armet
In rem quisque suam siccus mentemq; manusq;:
Qualiter Herculeæ gemuistis Pentea Thebæ.
Quàm bene inaurauit dirum fata Nocte venenum?
Appellat ludum, hoc prætexit nomine damnum.
Ergo omnes Stygijs exercet tessera ludis
Matres, atq; viros: refugit si mente bona quis
Ridetur, cumq; hostili damnatur vt ausus
Gente nefas. Nanq; omnis eques (nullum excipe nullum)
Pendet ab alueolis, indefessaq; quadratum
Versat ebur, pyrgosq; manu, fixusq; sedili
Perdius & pernox in noctem prandia differt,
In lucem cœnas, viuit successor auorum
Tantorum indignus, viuit pirata suarum
Haud dubius rerum, certusq; nepotibus histis,
Et modò cognatis, modò formidandus amicis.
Eloquar, an sileam? Lethæi nomina fluctus
Optarem Cameræ sepelirent, hic sibi facto
Hostis, at exemplo nobis, ditissimus agri

Cum ſit,& argenti,quid cœnet non habet vxor,
Non tunicam ſeruus,non grandis filia dotem,
Et ſibi parta negat,miſeræ negat ipſe culinæ
Vulcani quod poſcat opem:vix induit vnquam,
Quo miſer expectet ſecuro corde Decembrem.
Paſcitur alueolus regaliter,omnis ad huius
Explendam ingluuiem ſudata pecunia ſeruit.
Hoc cerdo,hoc lanius faciunt,hoc ſutor,& omnis
Sandapilarum opifex,opifex omniſq;rotarum.
Nemo ſuis parcit ſudoribus,aſpice quanto
Rem pallore ſtruant, per quot diſcrimina vadant
Tectorum artifices.Nam ſi reſtis malè fallit,
Aut minimo fumant hominis veſtigia vino,
Peſuè labat, toto ferienda eſt corpore tellus,
Frangendiq; omnes cum totis oſſibus artus.
Sed quoq; ſic partos expectat teſſera nummos.
Agricola ad ſoles,ad frigora ſudat & alget,
Dormit humi,frangitq; noualia, nempe,vt alatſe,
Progeniemq;, omnemq;domum:quis quæſo,quis vllū
Crederet eſſe locum tanta inter pignora ludo?
Ludo prima tamen pars ſcribitur,vt Cereri olim
Vt Baccho: quamuis nondum delubra,nec aras
Ludus habet,nullis celebrantur ſacra Calendis
Tabliopes Diuæ:nec adhuc tenet alea cælum
Terrenis contenta bonis,contenta Deorum,
Fortunæq; loco rapere,& dare gentibus aurum
Grandius:vnde ſibi condit noua ſacra,nouaſq;
In quocunq;ſtruit moles,& templa cubili:

Gens

Gens ignaua quibus fundit sua vota,precesq;.
Rebus enim exhaustis,ad quam Granulesius olim
Confugiet & viuendi artem,si funditus agri
Culturam ignorat,si Martem inglorius odit?
Si nunquàm expoluit saxum,nec iura,nec vllas
Euoluit chartas,nisi quas pingitq;, quadratq;
Lugdunense solum,mittitq;ad littus Iberum?
Arma quidem nostris plus multò atrocia gesis.
His siquidem solis vlta est iam Gallia cladem
Italiæ, & captum Ticini ad flumina Regem.
Quid minus expectas,si nullo tempore cessat
Alea.plusq; iuuat cùm pluris constat & omnes
Affectant illam,quam nunc Germania misit,
Ludendi formam,nostri dixere Primeram?
Communẽ Europæ flammam.Quæ namq; per orbem
Tam truci & horribili grassata est alea lege?
Fas ibi quantumuis immensi ponderis aurum
Promere marsupio,& varianti exponere fato.
At semel expositum,& tibi iam fortuna dicatum,
In tutum reuocare nefas.sic alea sanxit:
Vt magis,atq; magis,plus plusq; pecunia crescat.
Credere quis possit?Nondum mens incalet, & iam
Bis centum Granulesius habet sextertia coràm,
Latro duplum,Vilarasa magis,Moncada trecentum.
Vulnera ab aerio spectat fortuna sedili,
Et variè inclinat:nunc hos,nunc respicit illos.
Ore alio: vrticæ ingentes,quibus excitat iram.
Sed nunquam maiora mouet calcaria,quàm cùm
Deperit

Deperit insolito numerosa pecunia casu.
Aut tunc cum partos spatioso tempore nummos
Momento fortuna rapit, vacuumq; relinquit
Ære locum, vt vacuos insperato impleat auro.
Tunc verò Moncada furit, tunc vellet habere,
Quod genitor, quod auus, quod habebat auunculus Vgo:
Cum pelago Hispanam classem Dux summus agebat.
Non dubitaret enim captæ spolia vltima Romæ
Frangere ad alueolũ, & patrui exhaurire triumphũ.
Ast vbi testis abest, & adest custodia portæ
Maiori rerum momento tessera currit,
Maioresq; sonant gemitus: quis credere possit?
Nocte vna cadit vna domus, quam tempore longo
Erexit non vnus auus, nec auunculus vnus.
Præsertim si quando fabis, si quando lupinis
Res agitur, pacti soluendi tempore certo.
Sufficit ipsa fides pro pignore, conuenit illis
Ad casum tabulæ nummis cessantibus ire:
Ne sit opus miseros nummorum pondere lumbos
Frangere, vel dubio saccum committere seruo.
Est ratio vlterius, ne longo tempore sistant
Interpellatum numerata numismata ludum.
Illam tamen causis præponderat omnibus vna,
Ne ludo imponat finita pecunia finem,
Et fas sit tantùm Latroni perdere, quantùm
Ira iubet, cùm vulnus habet, pugnamq; reposcit.
Quæritur hic alius, sed cunctos sponsio terret

Ingens absq,modo.Coniurant quattuor ergo
Aut septem,aut plures,legiturq; ex omnibus vnus,
Qui magis hostiles ludendo intelligat artes,
Pluraq;in aduersum stratagemata cogitet hostem.
Quid Latro? Nullum certamen iudicat impar.
Cum iactura præit:primus lusoria tela
Voce petit magna,primus que sedilia complet,
Non quæcunq, tamen,nec casu obiecta,sed illa,
In quibus antè fuit felici sidere lusum.
Hoc primum,ne quis prior occupet;inuidet alter,
Sed tacet,atque loco paulùm declinat ab illo,
Quo malè successit:multum hoc referre putatur.
Sed nullum grauius miseris lusoribus omen,
Quàm spectator erit,qui non sedet: omnis ab illo
Si qua venit,iactura venit.Nemo ergo propinquet.
Adde quod Antistum(sic pactum est inter vtrũq;)
Factio tota monet.Prima est sententia Borgæ,
Proxima Segarræ,magna est quoque fama Sapenæ.
Horum præcipuè decreto,siue nocendum est,
Siue resistendum,tentatur publicus hostis.
Ne pete congressu tali,nunc finge timorem,
Cæcus in insidias curret.Quem deniq;finem
Pugna habeat? Cras omne forũ , cras omne theatrũ.
Narrabunt:totam quassabit scilicet vrbem
Priuati iactura viri,velut arserit igni,
Vt quondam,insolito populi discrimine,vicus,
Vnde petebantur butyrum,smegmata,ceræ.
Quis nescire potest tam clara & magna beatæ

Damna

Damna domus? Venduntur equi, venduntur equorum
Ornamenta palam, quæruntur fœnore magno
Multiplices nummi: nec pignora parua dabuntur,
Sed phialæ ingentes, & nota toreumate claro
Vasa, quibus clari maiores ante bibebant:
At posthac Aldana bibet. Sed tanta supellex
Non adeò est ingens, vt nummis sufficiat tot
Soluendis, veniant qui fraudibus irrita reddunt
Testamenta patrum, qui monstrant quà sit eundum
In bona, quæ pateant, si clausa est porta, fenestræ,
His miseros ludis illudit tessera ciues.

DE PARTIBVS VITÆ Ad Petrum Borgiam Montesianæ Militiæ Magistrum. Satyra V.

BOrgia, viue modò, melior dum labitur ætas.
Postera nõ nostra est, si verũ hæc fabula narrat
Iuppiter orbe nouo terras lustrauit, vt vni,
Cuique daret leges animanti, & tempora vitæ.
Ergo vocans asinum: te nasci fecimus, inquit,
Ne fatum ignores, vt dolia, ligna, farinas
Accipias facili tergo atque in tecta reportes.
Tot viues annos, quot sunt in mense dies. Tot?
Tam grauiter? Placeat viginti tollere. Tollo.
Deinde canem aggressus sic inquit. Tu virgil esto
Tectorum custos, hortos pecudesq; tuere.

Non tibi, lustra manẽt te feptẽ & femis. Ad hoc me
Tot lustris oneras? Deme illinc quinq;. Libenter.
Simiam item accerfens: tu, dixit, viuito nulli
Apta ministerio, fer femper grandia collo
Vincula, nunc pueris, nunc gesticulare puellis,
Nec moriare priùs quàm impleris olympiades fex.
Sex tam ridiculè? Satis est pars tertia. Sit fat.
Deniq; compellans hominem Rex ille Deorum
Sic ait. En terras, en æquora, quicquid vbiq; ẽst,
Omne tuum est, tu larga manu tibi gaudia carpe,
Dum licet, æternus non es, tantumodò cernes
Triginta Autumnos: hic vitæ terminus esto.
O Pater, hoc nè æquũ est? Post tot data munera vitæ,
Hanc vitam tantæ plenam dulcedinis arctas?
Quod canis, atq; asinus, quod tẽpus Simia non vult,
Da mihi. Do facilis fed tali lege, dies vt
Illorum viuens, illorum fata fequaris,
Hinc homo ter denos cum nondum venit ad annos
Cantat, amat, donat. femper gaudere paratum
Pectus habet. fequitur pompas, conuiuia, ludos,
Morborum ignarus, curarum funditus expers.
Nimirum viuit fua tempora. Cùm tamen itur
Vlterius paulùm, atq; asini iam viuitur æuum,
Nil oneris fugimus, nihil euitamus acerbi,
Vt res hic, illic partas, cenfufq; nouos ad
Tecta reportemus memores natũm atq; nepotũm.
Quinquaginta annos cum vita attingit, & vltrà
Progreditur, canis est ætas, atq; eius auarum

Viuimus ad morem,iam non augemus,vt antè,
Sed seruamus opes,& nobis parta negamus.
Extremum vitæ est,quod Simia sponte reliquit,
Et misero transcriptũ homini est.Hinc ora, manusq;
Sulcatus rugis,æuoq; ligatus,& annis
Non facti est,dictiuè capax,non aptus ad vllum
Vel belli,vel pacis opus,tantummodo paruis
Neptibus indulget,gaudet mulcere nepotes,
Illorum irridet nugas,ridetur & illis.

DE VITIIS FORI.
Satyra. VI.

EXemplo me penè suo Gonzaga coegit
Desipere,& dulces Musarum linquere partes.
Noster erat nuper,nunc Phœbi transfuga curat,
Quid graue Digestum,quid moles altera Codex.
Ardua res iuris Romani ænigmata nosse:
His saltem OEdipis, quorum scit nemo Latinè.
Serò Balde venis, dicebat Barbarus olim.
Hi sunt signiferi,quibus omnes ordinis huius
Assurgunt : sed quanta illos discordia cepit !
Protinus in dubio est,pugnare, an vincere malint,
Sic res humanas illorum turbat vterque:
Totaq; posteritas studia in contraria passim
Scinditur , atq; ipsis indicit bella Magistris.
Quisq; suam sequitur contempto principe mentem.
Quis non antiquis aliquid scriptoribus addit?

Marmora sunt, fateor, sed marmora linquere sedes
Debuerant illas, ne tot portenta viderent,
Tot fraudes, tantas ex omni parte rapinas
Spelunca est quodcunque vides, vbicunque locorum
Conuertas oculos ad dextram, siue sinistram
Occurunt homines portantes scrinia secum,
Et thecam, & calamos, nigrumque in pixide virus:
Quos penes est omnis res nostra autore Senatu.
Tam facile, & pronum est digitis spoliare duobus
Quemlibet, ast alios vna ditare litura.
Esto fides illis inculpatissima, verùm
Fortunare domos cunctis impunè diebus,
Literulisque tribus felices reddere natos
Qui possunt, aliquando volunt. Ego nescio certè,
Quid facias Rubio, sed tecum occasio cœnat
Peccandi, tecum peccandi occasio dormit.
Et semper magno vicina est culpa periclo.
Occurrunt alij portantes vndique caudas,
Portantes retro stultorum armenta virorum.
Hi sunt ignari iuris, nec limina legum
Prima salutarunt, sed causis omnibus adsunt,
Verbosamque locant operam, frontisque pudorem:
Procuratores dicunt, venalia semper
Ingenia, & promptas ad nigra, & candida linguas.
Si causa ægrotat, norunt medicamen in ipsa
Esse mora, facili labyrinthus texitur arte,
A quo non actor, non filius exeat vnquàm.
Vix proauûm lites possunt finire nepotes.

Dædalus interijt, sed partes illius implet
Iulbius, artificem longa experientia fecit.
Nemo tot ambages, totq; intricamina quærit,
Nemo magis promptas fugituro fabricat alas.
Lazarus est alter, qui telas nocte retexit,
Accipit, vt Proteus, varias Gironella figuras,
Et Guardiola potest nubes retinere volantes.
Mirum est, quod dicunt Remora de pisce, sed omnes
Vincuntur remoræ, cum liti Artinus adhæret.
Quælibet insanis dat controuersia litem.
Prudentes alium, quàm se defendere malunt.
Detot Sulpitijs vix vnum ostendere possis,
Qui moueat litem, vel motam nutriat amens:
Vtilius ducunt aliquam contemnere partem.
Quàm facere ad puteal tota de sorte periclum.
Vnica nimirum ius anceps littera reddit.
Multaq; mutato pereunt patrimonia puncto.
Consilium laudo sed quare sumere malunt,
Quàm dare? Vis dicam? Fallunt, quia fallere opertet,
Et sapit ambrosiam cuiusuis causa farinæ,
Nec pudet ad claudum Masoneti incedere morem.
Inde facultatum subita incrementa per vrbes,
Nec iam sufficiens veterum mensura domorum.
Turpe est causidico nidos habitare paternos,
Nec parua vtilitas aureum monstrare lacunar,
Cœlatasq; fores his rebus ouilia crescunt,
Nec pecus vna venit, sed saltant æra gregatim.
Si sapiant homines, prætoria nulla videbunt,
Com-

Componentq; suas vicino iudice causas.
Annibalis scalas pallet transire viator,
Nauita piratas, & pirateria vitat.
Nos Maleuentani famosum quærimus antrum,
Vnde iterat nemo vestigia: nota leonis
Fabula, sed nostras vincit vulpecula mentes.
Perdidit hic oculos nimium indigesta legendo.
Tutus ab hoc morbo viuit Garbina patronus:
Nulla domi mansere volumina, tradidit omnes
Præconi autores, omnes venere sub hastam
Chartarum tineæ, mirantes ora virorum,
Et nunquam visam longo post tempore lucem.
Scit se scire nihil, res magno Socrate digna,
Si non vera foret. Nam nulli audacia maior
Riberæ, nec tanta tibi fiducia Clemens.
Tarrega nil dubitat, stat semper Nunnius anceps:
Aucupium dispar, par autem præda duorum.
Vno Galba die de re consultus eadem
Bis fuit, & sensit contra quam senserat antè,
Armauitq; duos, spoliumq; ab vtroq; recepit.
Ne dubita, multi vario sufflamine reddunt
Ius vitreum, nunc vrceolus, nunc vrceus exit,
Et quascunq; volunt ampullas ore figurant.
Imperat interdum bello fortuna forensi,
Et vincit quem cæca iubet, sors omnia versat.
Omnibus in causis dubia est victoria semper.
Quem non ancipitis confundit copia iuris?
Quem non incerti successus alea terret?

Multi naufragium faciunt in littore tuto,
Et piget incepti, sed cantilena patroni
Despondere animum prohibet, vox omnibus vna:
Iudicis indocti nos ignorantia crassa
Perdidit, aut aliud, quod frustrà dicere nolo:
Appella sodes, hæc nobis vltima restat
Anchora, rem digito Sapena resarciat vno,
Corrigat ille nefas, hic iusti regula desit.
Accipe nunc gemitus, suspiriaque alta patroni,
Cum iam naufragium miseranda Alcantara fecit,
Et deplorata migrauit Nacara lite.
Radere quod superest optant, fractosque clientes
In ius adducunt, & de mercede laborum
Litem agitant: alij rident, & suauiter aiunt,
Cur ego rus plorem? Nos demum fruge recepta
Perdidimus causam, ploret qui perdidit agrum.
Causa iubet melior fratres sperare Palassos,
Sed sperare vetat nimium contracta supellex.
Omnes patroni steriles odere clientes.
Multi deficiunt ad plenas ære crumenas:
In quibus Herdanum vulgaris fabula ponit,
Et longus rumor veri certissimus autor,
Nec prodest homini durum simulare Catonem.
Magno namque malo bona fama amittitur, vt mens,
Mens amissa semel nunquam bene sana videtur.
O nummi, nummi, cum pauper limina pulsat,
Dat graue responsum de summa ancilla fenestra,
Ianitor obiurgat, latrat canis, ipsaque stridet

Ianua

Ianua præ ſolito, mentis quaſi conſcia herilis.
Diuitibus nullas obiectant limina valuas,
Sponte patent libri, lecturo littera creſcit.
Nullus habet truncus maiores arbore ramos,
Lis habet illorum culpa qui regna gubernant.
Quid facit in noſtra rabularum exercitus vrbe?
Quid, niſi quod faciunt ſuperatis mœnibus hoſtes
Non eſt vir magnus, qui multis imperat vnus,
Sed qui iuſtitiam quocunque in corpore geſtat,
Virtutes aliæ multo fulgore coruſcant,
Hæc tamen apparet toto mirabilis orbe,
Qualis eoa venus, vel cœli diſcolor arcus.
Non eſt vir magnus, qui multum creſcit, vt vlmus,
Sed qui plus alijs humana incommoda perfert,
Et vultum oſtendit fortunæ ſemper eundem,
Quique ſuo exemplo mortalia pectora format,
Et regit iratos, & non corrumpitur ira,
Et pœnas ſumit de ſontibus integer ipſe.
Ridemus taciti, cum mœchum punit adulter,
Iniuſtum iniuſtus, latronem latro relegat.
Pulcrius eſt multò culpas prohibere cauendo,
Radere quam ferro, & damnum ſuperaddere damno.
Namque omnes iſdem concluſi mœnibus, vnum
Corpus in vrbe ſumus, nec cùm pes vritur igni,
Mens homini ridet: caput eſt in corpore noſtro,
Quod pater in tecto, quod iudex æquus in vrbe.
Quis tamen oſtendat multis in millibus vnum,
Vt cernant oculi terreno in corpore numen?

Res sacra est iudex, & legum dia potestas:
Sed studium augendi nummos vtrunq; profanat.
Nullum in consilio, nullum est in Rhetore, nullum
Præsidium in causa, cum litigat aureus Atlas.
Dantis ad arbitrium leges & iura loquuntur.
Munere conspecto mutat rubrica colorem.
Qui cadit à donis, causa cadit: omnia quamuis
Coniurent tecum paragrapha, nudus abibis,
Si nihil attuleris: pariunt munuscula montes.
Hæc sunt arma fori, quorum ignorantia multos
Pauperat, & multis alienos tradidit agros.
Nil Messala petit, nihil accipit, accipit autem
Filius interpres patris, dominoue tacente
Seruulus, aut coniux non ignorante marito.
Et si res miras desiderat, Africa mittit
Ætiopes albos, maiores India conchas.
De pretio ambigitur, sed nunquam Spinus emendo
Fallitur, vnde istud? Quia falli venditor optat.
Sic emit emptorem, sic damnum fœnerat Aulus.
Sunt Periso libri plures, quàm litteræ, & optat
Infarcire alios, nec causam Olzina silebo.
Ordinibus longis diuersas vndique sedes,
Et varios hinc inde gradus ostendere gaudent.
Omnia plena libris, quia vulgo iudice tantùm,
Tantum quisq; sapit, quanta est farrago librorum.
O Digestorum, Pandectarumq; superba
Nomina, quæ vestras admittet ianua chartas?
Quæuè columna potest vestras æquare columnas?

Cum

Cum duo disceptant meiones consiliorum,
Et feruet plenum multo auditore tribunal,
Proh superi! Mallem culices audire tubantes
Per noctem,& raucas Augusto mense cicadas.
Quid dicunt? Vnus Baldizat,Bartolat alter.
Nil aliud discunt,nihil vltrà scire laborant,
Quam quod ait Decius,vel quod Trebatius affert.
Paulus dixit,ita est:sic censet Tubero; sic est.
Cur ita sit,nemo satagit cognoscere nemo.
Nam satis est illis alienam pascere messem.
Post virtutis opus res est pulcherrima virtus.
Proxima virtuti posuit prudentia sedem.
Quem fortè appellant? Qui pugnat propter honestũ,
Et mortem expectat posita formidine mortis.
Virtus extremum est,vitium si respicis vnum,
Si duo,dic medium. Nam desidet æqua duobus
At medium non semper idem,sed mobile punctum,
Et quocunq; cadat, cadit inter plusq; minusq;
Hi iuris fontes hæc sunt cunabula legum,
His è principijs quanta est respublica pendet.
Sed multi ignorant,Stella ignorare fatetur
Sponte sua,talesq; vltrò contemnere nugas.
Sic iuris prudens,quid sit prudentia nescit,
Virtutisq; viam laudat,virtute relicta.
Turpe illis sine lege loqui, lex semper in ore,
Mos nil legis habet,sed recta est vita quibusdam:
Est fateor,mirorque illos quasi monstra viderem.
Vertitur assiduè cœlum,vertuntur & astra
In

In numerum, rerumque vices mutantur in horas.
Suspicor, & forsan bene suspicor affore tempus,
Cùm nostris parcet gallinis Vulpinianus,
Scæuoláque in flammas, ad Colchos ibit Iason.
Et dicent homines, vbi sunt quos ante vocabant
Causidicos? Quos illæ vngues, dentésque gerebant
Harpyiæ! Tales regio tulit vlla locustas?
Nostra quidem tales: & vestro gratulor æuo,
Gratulor extinctis, si parcunt litibus vmbræ,
Nec tot ventosas audit Proserpina rixas
Declamante Lupo, vel Rhetoricante Lupino.
Digladiantur enim de lana sæpe caprina,
Immò mea Cintilis ait, dum lite perenni
Rem patriam venor. Magna est iactura profectò
Deserere hanc causam, verùm maiore ruina
Tres alo patronos, pereoq; Actæonis instar.
Non est hic sermo solo Cintilis in ore,
Sed quoque riualis: sua quemq; exugit hirudo.
Ambo dolent meritò, sed multò iustius illis
Antistus queritur, quem pars aduersa sepultum
Asserit, ipse negat coram Prætore, nec vlla
Arte probare potest, se viuere. Talia fiunt,
Et fient, dum luxus erit, rabulisq; licebit
Pascere tot seruos, vxores ducere rheda.
Quid magis exile est, quàm leguleius Ilerdæ,
Qui patre decepto consumpsit quatuor annos
Cum Cerere, & Baccho, diuinet cætera prudens:
Sed redit inde tumens, & tanquam magna reportet

Ornamenta

Ornamenta animi,vel magnos iuris aceruos,
Vult toto regnare foro,primosque requirit
In mensa accubitus,& prima sedilia templi
Occupat,expunctis qui re,qui sanguine praestant?
Magna fuit semper contentio nobiliorum,
Istorumque hominum,sed nunc Gymnasia vincunt.
Creditur his solis Respublica.Cede Fajardo,
Cras erit ex illis,qui gestant antè secures,
Pandectisq, suis aliquando vtuntur,vt armis.
Facta est iudicibus dicendi copia iuris,
Non vlciscendi priuatos pectoris aestus.
Vindicta est,cùm poena placet. Nam semper habendū
Est odio crimen,non autem criminis autor.
Lex grauis est,leuiusque ferit,cùm tendit in altum,
Quàm cum descendit:sed contra Cardena vidit.
Audio iam luscum dicentem talia lusco,
Vnde hic culpator nostri nouus aduenit?Vnde
Tam bene nos nouit?Cur illum haec cura fatigat,
Quin prius in lucem quadratus circulus exit?
Sat scio ridebunt multi,tollentque cachinnos.
Nam cuiuis homini facile est ostendere dentes,
Parcite caupones legum,mea spernere dicta,
Tanquam sint nostri sermones somnia,tanquam
Haec Verdeguerio fecisset verba Cremades,
Ad limen portae ventos faciente flabello.
Non non ipse aio,sed consultissimus Ammon,
Et Phoebaea tripos,& nescia fallere quercus.

IMITATIO SATYRÆ primæ Horatij. Qui fit Mecœnas Satyra VII.

Ad æmulationem composita singulis versibus per monosyllaba incipientibus, & in monosyllaba desinentibus.

CVr sua sors nulli Mecœnas grata, licet sit
Quam prius optauit prudens, vel forsitan à Dis
Cum plausu accepit, cunctis placet alterius sors,
Inq; vicem querimur? Quid fractus militia vir?
O vos felices, quos portat nauis alit merx.
Quid mercis dominus, cum multos turbo dies flat?
Vt mors longa venis, multò præstantior est Mars.
Res est pugna grauis, sed vinci aut vincere in hora
Cum iuris prudens gallum audit manè, sonũq; (est.
Ad valuas, vrbem non cessat ponere post rus.
Vir contrà agrestis, quem paruo ex rure trahit vas,
Inq. Vrbem it fessus, sic secum clamitat, ô Vrbs.
De genere hoc hominum quis possit dicere ni sit
Os illi triplex. Fabioq; loquacius? At ne
Te fugiat, quorsùm euadam, sic accipe. Si quis
Hos Deus audierit, cumq; illis sic agat. Ad vos
E cœlo veni, vt vobis optata citò dem.
Tuq; prior miles mercatorem indue, tuq;

Qui

Qui nunc rus habitas, vrbem cole. Nullus eorum est,
Qui velit esse alius: nulli est quæ nuper erat mens.
Hinc subit ira Deos, inflatoq; ore Deûm Rex
Dat fremitũ, obturatq; aures, cũ nostra sonat prex.
Sed post hæc fictis parcam: ne tam grauia (vt mos
Est alijs) dicam ludens: quanquàm allicere ad me
Sic animos abs re non esset, sicut ab ijs fit,
Qui dant poma, nuces, vt discat paruulus A.B.
Sed nunc res solidas quæramus, ludus erit post.
Dux ille audacter, qui se morti obijcit, aut hic
Qui mare, qui sulcos, qui plenum litigijs ius
Non horret, modò sit diues: purgare suam scit
Hoc pacto culpam, frugi formica docet nos
Ad spatium vitæ extremum respicere, & sic
Rem facere, vt nobis olim sint otia Sed quis
Iam nactus quod vult parto vtitur, atq; tenet se?
Si ad placita illius te componis, tam imitanda hic,
Quàm illic disciplina fuit tibi. Nonnè vides hanc
Se tegere, & partis vti, cum tristior it Sol,
Fitq; senex annus? Sed te imperiosa lucri spes
Huc trahit ex Indis, mox illuc, vnde redis, is.
Nec Canis os flagrans obstat, nec densa Capræ nix
Te tenet: Oceanum tranas, sperniſq; Deûm fas.
Nec ferrum, aut ignem vitas, modo crescat opũ mons
Sub terra positus. Sed quænam hinc vtilitas? Quæ?
Si semper tollam magna æris de strue, vix as
Sit mihi de cumulo reliquus. Sed tollere ni vis,
Quid pulcri est illic? Nam sic erit, ac si habeas nil.

Sit tibi frumenti quantum metit Africa, non es
Ex illo plus me: seruus velut emptitius, qui
Fert ad conseruos panis graue pondus, & hoc se
Tam pascit, quam qui nihil affert ponderis. At nunc
Dic quæso, est nè tibi, panem, vinum vnde petas? Est.
Nec deest, cum frigus mordet, vestem vnde pares? Nō.
Quid plura ergo cupis? Quia quāto est maior opū vis,
Hoc tanto est melior. Te fallis, si minor, est sat.
Non ergo natura est, quæ tecum disputat, & quod
Nunc respondisti, sic diluit. An tua cum faux
Sit sicca, estque latex in promptu, mergere tunc os
In fluuio malles, si non hinc sumis aquæ plus,
Quàm illinc? Iniustus viuis, si copia cordi est,
Qua tibi non opus est. Multos rapit Ausidus ad se
Eripa, plenos quos dimisisset inops fons
Qui tantum optat, quantulo eget limum ille, lutumq;
Non gustat, nec plus haurit de flumine, quam vult,
Sed multi falsò iactant, plus semper habendum est.
Nam tanto in pretio quisque est, quanto illius est res.
Quid facias illi, qui mauult esse miser? Sit.
Sic certè affectus fuit olim quidam homo tam dis,
Quam miser: hic habitus per Athenas ludibrio, sic
Se solabatur: multis ego ridiculus sum,
Non mihi, cum miror quantum argenti sit apud me.
Rex quidam inter aquas, illas attingere non quit
Cum sitit: hunc rides, cùm Tantalus inter opes sis.
Nam tibi relligio est nummo vti, quodque penes te
Est auri, argentique, velut pictores opus sit,

Te

Te solo iuuat aspectu. Nondum, obsecro, nondum
At te peruenit, quis sit nummi vsus? Eum da,
Si potes, & contrà panem, vinum accipe, necnon
Et vestē, & quicquid nostrū angit viuere, cū deest.
Quod si res ingens hæc secum commoda non fert,
Sed solum curam, atq; metum, ne tollat opes fur,
Fax tectum incendat, corrodat mancipium vas:
Sis orbis dominus, nec glebæ vnius ego sim.
At simul ægrotas te circùm tota domus stat
Cum lachrymis, coniux suspirat terq́, quaterq́,
Et noctem ad multam medicus vigil helleborū fert.
Nil horum: hic vngi non sperat, teq; relicto it
Quò lucrum arridet: natus quem flere vides, flet
Quòd sis viuus adhuc, vxorem sollicitam dos,
Non morbus reddit, nec tristem certa viri nex.
Quid, rogo, miraris? Cum tu omnibus anteferas æs,
Æs tibi præponunt omnes, redduntq; pari par.
At seruare si amicitias, consanguineosque
Vis, quos absq; labore tuo natura tibi dat:
Non aliter facies iacturam temporis, ac qui
Vult asinum fræno regere, ignauumq; docere, vt
Per campum currat, quo sessor fertq;, refertq;.
In summa finem cumulandis diuitijs fac,
Cum superest aliquid: paupertatisq; timor sit
A te tam longe, quam longe pauperies est.
Ne velut Vuidium, te fallax decipiat cras,
Cui graue erat nummos metiri (sicut erat mos)
Ob magnas illius fortunas, sed herus nè,

An famulus peius se amiciret, magna fuit lis,
Dum vixit. Metuebat enim mirabilis hic vir,
Ne se fortasse æternum sua desereret res.
Quem tamen oppressit non ætas longa, famesq;
Sed lecti consors, magis ipsis Tyndaridis trux.
Vin igitur Nomentanus fiam ex Neuio? In pus
Non minus horrendum, quamuis contrarium ages te.
Non ego, cum dico fueris ne sordidus, id me
Tu dixisse puta: sis perditus. Inter vtrunq; est,
Si qua salus vitæ est, quam te ignorare nefas est.
Stat recti sedes media inter plusq; minusq;
In vitiumq; ruit, si citra, vltraq; mouet se.
Ad caput, & querulos redeo. Nã maior ad huc pars
Sub velo est, nec dumque in scenam prodijt. Hi sunt,
Qui sua contemnunt fortunati bona, si fors
Hunc magis aut illũ extollit, quibus adde ducẽ. Quẽ?
Quem, nisi auarum se cruciantem, quòd mihi sit grex
Vel paulò vberior: securum, pauperibus quòd
Sit prior, instantem primis, vt solus eat præ.
Vt fit apud currûm certamina vilis vbi est laus
Hunc præuertere, & hũc, quia primo præmia dat lex,
Fronsq; coronatur, tardorum cuiq; dolet cor.
Sic nemo est felix se indice, cumq; venit mors,
Vix vnus migrat nihil optans, tamq; satur, quàm
Vir mensa exceptus, cùm ventrẽ implere nequit plus.
Hac scripsi, sed mente illa, vt vestigia Flacci
Ialce premens illum melius sequar, vt pote primum
Cu satyra, certent alij de sede secunda.

IN ALEATORES.

Satyra VIII.

OLIM Cùm Reges ad bellum ſigna mouebant,
In caſtris erat omnis eques: Cintillia proles,
Latronumq;manus,Boriarumq; alta iuuentus,
Et proaui Moncada tui, & Cardona propago,
Corellæq;,Maſæq;omnes:his tota magiſtris
Caſtra regebantur,primis hi cornibus ibant
Armati pro Rege ſuo,rerumq; ſalute
Communi: tunc nomen erat venerabile mundo
Nobilitas,tunc digna fuit,cui tanta darentur
Stemmata,cui Reges tot largirentur honores.
Tunc erat optandus quiuis Valterra, vel Ixar,
Vel Ribella gener:tunc omnis filius hæres
Scribendus,nullaq;fide,vel lege grauandus.
Nunc operæ pretium eſt,noua propugnacula quæri,
Quæ poſſint munire domum,& defendere ab ipſo,
(Quis credat?) domino,& prolem ſeruare beatam
Inuito,aut triſti,vix audeo dicere patre.
Non dubium eſt, homines olim furiabat Erinnys,
Sæuaq; Tiſiphone: nunc alea peior vtraq;.
Multos porrò vides,quos inclementia cæli,
Naufragiumq; frequens, & proxima terret egeſtas,
Nunquid opes , quas Montalto fortuna negauit,
Filia fortunæ dedit alea? Pauper , vt ante
Errat adhuc.Quos paſcit equos?Quo murice fulget?

Quos habet assiduos lucroso in fœnore nummos?
Alea pauperibus non dat, locupletibus aufert.
Vt capiat fatuos, opulentum ostendere gaudet
Antistum fortuna suum. Quid callidus auceps
Proficeret reti, quid visco virga tenaci,
Alituum mentes aliquis nisi falleret ales
Lectus ad aucupium, & prædæ nutritus ad vsum?
Credula turba sumus. Quem nanq; opulentia magni
Non mouet Antisti? Quis spe non flagrat habendi,
Quod felix Antistus habet? Sic alea mundo
Imponit plumisq; tuis Penarogia gaudet.
Hoc igitur fuerat, propter quod sæpe solebas
Infames habitare domos, somnumq; fugare
Ex oculis, rarumq; cibum contingere labris
Sollicitus lucri? Rem magnam nempè patrasti,
Iactasti prædam prædæ maioris ob vmbram.
Sed tibi cùm rebus ludendi dempta facultas,
Maiores faciet somnos, celesteq; nectar
In pura potabis aqua fatuæq; culinæ
Condimentum ingens tranquillus spiritus addet.
Hæc præstare tibi quis dexter senio posset?
Quæ lucrosa Venus? Quoties dormire Boyllus
Manè cupit, sed surge eia, surge alea clamat:
Surge quid expectas? Surge, vt tu solus aristas
Quas seuit Vilarasa metas. Ito ocyùs, ito.
Iam te marsupio plenò nummisq; paratis
Sanctius expectat, cessas? Iam septima pulsat,
Et tuus audita pallescit creditor hora,

Quòd

Quòd nondum venias:numera,ne nomen omittas:
Vitrea nempè fides iuncturam admittere nescit,
Rupta semel.Iacet ergo vigil,vel deniq; surgit.
Expilat loculos,mundumq; vxoris, & hosti
Obsequitur.Quæ cœna tamen,quæ prandia possunt
Oblectare hominem? Quæ lautæ gaudia vitæ?
Quid prodest, quod edat cũ grandibus ostrea mullis?
Quòd manducet aues à Phaside nomen habentes?
Quò d bibat annosum phiala spumante falernum?
Si bibit attonitus curis,glutitq; beatas
Mente aliud faciente dapes, nec gaudia sentit
Vlla gulæ,tanquam sensu.gustuq; careret,
Impleretuè suis alienam faucibus aluum.
Sed tamen hoc leuius,quam quod contingere multis
Nocte solet media,non impedientibus vllis
Testibus, & fusca scelus admittente lucerna.
Conueniunt terni chartas agitare parati:
E quibus vnus erit spoliandus fraude duorum.
Nec magnus spoliare labor:stat subter ad omne
Charta parata nefas,nec prima sequentibus obstat,
Tàm facilè digito chartis præuertitur ordo.
Multa etiam inter se cubito propiore monentur,
Et quodcunq, volunt,pedibus signisq; loquuntur.
Quin etiam viso (tanta est industria) dorso
Diuinare solent, qualis sit subter imago,
Vel quot puncta gerat,vel quo distincta colore.
Tu miser iratus conuicia dicis Olimpo,
Fortunamq; tuam gemebundo pectore damnas.

Non ais, hæc credo: credes, si manè recedens
Inspicis ad solem metuentes lumina chartas.
Deprendes Ribotte dolos factasq; videbis
Vngue notas, alias prauas, aliasq; minores,
Factaq; de paruis tenuissima tubera guttis.
Sunt alijs aliæ fraudes, sunt nomina mille,
Mille nocendi artes, quas non euaseris omnes;
Fronte geras quàmuis vigilantia lumina centum,
Posteriusq; caput circunstent altera centum.
Sed minus euadunt, quos ossea ducit hiantes
Alea, maiores admittit tessera fraudes.
Ipse licet portes immunes crimine ab omni
Tessellas, factasq; domi, fucoq; carentes,
Ante oculos, interq; manus, tua nescia fraudis
Vanescit: similisq; tuæ (iurabis eandem)
Clàm tessella subit, cuius pars altera nullo
Pondere deprimitur, pars altera plena metallo
Vrget ad ima latus nullisq; iubentibus astris,
Inclinata sedet, qua parte grauatur ab auro.
Finge tamen maneat quæ tecum tessera venit,
Ne te supposito fugiat victoria talo.
Impostor certa tessellis imperat arte.
Illius acta manu nunquàm intersultat eundo
Alea, per totum plano pede labitur orbem.
Currit adhuc, & iam Masonetus dicere posset,
Quale latus sursum monstrabit, quale deorsum.
Posset & ad certos extendere brachia nummos.
Miratur fortuna suas ludentibus illis

Defecisse

Defeciſſe manus, mirantur ab æthere ſummo
Oppoſuiſſe ſuas nequicquam ſidera vires,
Quid tamen ex tantis tibi Nuniatonne rapinis
Poſt menſem ſupereſt? Alas habet, atq; fugaces
Res malè parta pedes, ſubito euaneſcit, vt illud
Argentum quod partim vnda eſt, partimq; metallũ.
Sola doli ſupereſt infamia, magnaq; ſemper
Formido, ne Rocca ſciat, vel Borgia fraudem.
Nam quis tam patiens eſt, vt ſpoliatus & expes
Non ruat in facinus, pœnas cum ſanguine poſcat?
Vno vlciſcatur communia vulnere damna?
Ad patris & patrui communis Pythius hæres
Quàm multa exhauſit Binalenſis pinguia campi
Iugera! Quot veterum plantaria ſolus auorum
Eradicauit penitus! Quot tecta! Quot hortos!
Nec ſua decoxit tantum bona, ſed quoq; fratris,
Sed quoq; amicorum, Quo circa nudus & exul,
Occultuſq; magis, quàm nunquam inuentus Oſiris,
Iam nuſquam apparet quæſitus vbiq; locorum.
Vt reliquos taceam, iam iam Pallaſſus ad Indos
Nauigat eſuriens, & quod patria abſtulit aurum
Quærit in extremis vndoſæ Tethyos aruis.
Longa via eſt, magnuſq; labor tot ferre procellas,
Tot penetrare maris tractus, vltraq; peruſtam
Ire plagam, ſolemq; ipſum laſſare ſequendo.
Tot varios circumire ſinus, orbemq; videre
Europæ, Libyæq; parem, totq; horrida cælo
Monſtra nouo nondum famam, nec habentia nomen.

Sanam vtcunq; tamen Pallaßi iudico mentem,
Quòd ludi diffisus opi, spem ponat habendi
In pelago, & vento, spernatq; pericula ponti,
Naufragia expertus tam longo tempore ludi.
Inuento quot monstra nouo, quot crimina nunquam
Expectata vides! Hispani militis audi
Grande nefas: hic ille fuit qui primus ad Albim
Spreuit aquas, hostisq; minas, nudusq; natauit
Contra armatum hostem, gestans in dentibus ensem.
(Ausum horrendum, ingens, & dignũ, Carole, castris,
Temporibusq; tuis) verùm hic tam fortis & audax
Strutius, à magno laudatus Cæsare miles,
Nunc miser abraso capite, & tenus inguine nudus,
Atq; etiam multis religatus crura catenis
Remum vtraq; manũ spumosa per æquora versat.
Hoc sceleris non pœna fuit, non supplicium, nec
Belloniæ vulnus: se se pro pignore pactus
Alueolo, numerum pedicosi remigis auxit.
Namq; inter nautas ne desit dedecus vllum,
Non tantùm argentum, non tantùm luditur aurum,
Sed quoq; libertas. Hic transtro quattuor annos
Debet, at ille duos: est qui non exuit vnquam
Se pedica, & vinclo, nisi vindice morte, vel austro.
Res sacra & cunctis est alea noxia. Cur non
Plectatur: Cœnet lautè execrabilis Anio,
Quãdoquidẽ alueolus penus optima. Viuat, & amplas
Ædificet Calsada domos, molem ipse, modumq;
Præcipiat, nos saxa, trabes, laquearia demus.

Posse

Posse putas vlla casses euadere penna,
Quem semel inuitat mellitis vocibus Anio?
Promittit cœnas lurconibus antea nulli
Gustatas hominum, spondet senioribus ignem
In lare perpetuum, & vestæ de lumine raptum.
Pupillis nummos, lucrum omnibus. Huc ades, inquit,
O Barsi, nec frustrà aderis: Iulianus apud me
Assiduè est, plenumq; sinum sextantibus affert.
Me quoque non rarò (spes certior altera lucri)
Boscus adit, fixusq; meis penetralibus hæret.
Talibus illecebris ante ipsa crepuscula lucis
Tota domus plena est: nullus lusorius orbis,
Nulla vacat sedes, omnis quoq; talus in vsu est.
Non tamen inuideas homini, si filia virgo,
Si coniux formosa domi, si denique nondum
Purpureum tota proiecit fronte pudorem.
Cogitur infelix propter sextertia quinque,
Quinque pati & centum fastidia, tædia mille.
Vos igitur iuuenes, seruit quibus ampla supellex,
Has saltem vitate domos, vbi cogitur illa
Fæx hominum, vitate manus, quibus alea paret,
Nil contra hos Fortuna valet, nil sidera possunt,
Vim patitur cœlum, gestant in pollice fatum.

FABVLA DE IVRECONSVLTIS.
Satyra IX.

DVM Titij in campo, Titij quoq; gallus oberrat
Gallinam subigit Caij: mox nascitur ouum,

Quod super incumbens Sexti gallina, fouensq;
Tam pullo vitam, quàm liti præbuit ansam.
Tres illum domini diuerso iure petebant,
Et iam spectabant solito subsellia more:
Ante tamen placuit tria magna oracula iuris,
Magnanimum Vidam, fortunatumq; Menandrum,
Cortinasq; tuas, ò admirande Lycanor,
Certari, idq; sequi, quod visum pluribus esset.
Prima fuit statio domus imperfecta supernè,
Limina cuius erant peregrino structa labore,
Et tessellatis sola vermiculata figuris.
Primus & his Titius dubium certamen iniuit,
In re fortè mea Gallus meus huius iniuit
Gallinam, & matrem fecit: dominiq; rogamus,
Vt nos ignaros doceas, num dupla prioris
Conditio excellat? Num præstet causa secundi?
An ratio extremi sit præponenda duobus?
Vida ait, haud dubiè referes ab vtroq; triumphum.
Insequitur Titium Sextus sic deinde loquutus.
Nota tibi, credo, Titiani prædia iuris,
Gallus vbi eiusdem gallinam impleuit, & ouum
Hæc parit, illa fouet: Sexti prior, altera Caij
Res erat, ambigimus, nec conuenit, edita proles
Cuia sit? An Titij propter patremq;, locumq; ?
An Sexti ob matrem? Num Caij ob pignus adultum?
Illa quidem; Menander ait, Sexti esse videtur.
Tunc orare suam causam sic tertius orsus.
Gallus agro Titij gallinam fortè subegit.

Caij,

Caij,quodq; ouum mox protulit illa,fouendum
Altera suscepit de Sexti egressa cohorte,
Datq;animam pullo proprium impartita calorem.
Patris,agri dominus prolem feret? An magis ille
Cuius erat mater,vel matris munere functa?
Credo, ait,omnino Caium spectare,Lycanor.
Cum magis incerti paria ob suffragia,quàm antè
Essent,autoremq;suum plus quisq;probaret:
Disceptant rursum,rursum discordia gliscit,
Concordiq; animo iudex vrbanus aditur,
Ille ait,ad quartam quæ sit sententia dicam.
Dicta dies aderat,iudex vadimonia differt,
Iustitiumq; ingens interuenit,effluit vnus
Mensis,itemq; alius fit lis proxilior anno.
Tandem ait,huic gallo fugiendi copia fiat,
Et tribus è dominis qui possit haberè volantem
Ille habeat,faciatq; suum,ius illius esto.
Euolat ergo ales,dominisq; sequentibus errat
Per fora,scribarumq;domos,tandemq;per amplum
Causidici impluuium cecidit,nec redditus vnquam
Illorum est oculis,dominosq;reliquit inanes.
Dumq; ardent,ecce occurrit vir nomine Belda,
Vicinusq; olim, & portans monimenta sub alis
Non parua.Vnde isthæc tibi, sodes,sarcina? Nondum
Ad vos peruenit,quod litigo? Septimus hic est
Mensis.Dic,quæso,quisnam aduersarius? Vxor,
A qua discessi cupiens ditescere,sed sors
Læua fuit,redij decimo pauperrimus anno.

Dumq;

Dumq; domum subitò ingredior, cupioq; videre
Quali sit coniux habitu, puer vnius anni
Illius in gremium fugit, video vbera lacte
Plena, sinus laxos, os plenum crimine, dumq;
Cogito quid faciam, ridenti paruulus ore
Me patrem appellat, me matre hortante salutat.
Cuius sit rogito: tuus, inquit. Sit tuus, aio,
O mala, pelle foras, alienum non alo pignus.
Commune est. Non est. Hæc nostræ litis origo.
Nec dum finis adest, nec nostri est culpa patroni,
Sed mea: quid dicã? nunquã hunc satis expleo pauper.
Nondum quinq; dies, ex quo agrũ vendidi, & omnes
Gallinas, hodie decreui tradere gallum,
Qui mihi restabat tota de gente superstes.
Vt veni coràm cum munere, nescio quorsum
Ales cantauit, sed protinus occinit ille.
Sum volucrum interpres, auiũ sum maximus augur,
Nec magis humanam, quàm galli intelligo vocem.
Nuper dicebat diuinus te fore ditem,
Nunc vocat vxorem. Sensi quò tenderet efrons,
Discessiq; gemens. Et vos manet exitus idem,
Ni sapitis, miseram vos, oro, ponite litem.
Illi consilium rident: quos rursus agrestis,
Qui Beldæ casus attenta acceperat aure,
Sic monet. Audite, vt pacem sapienter ametis.
Causidicũm variæ fraudes, & præda perennis,
Et mihi patronus, cùm longius esset iturus
A me, iumentum, quo solo pauper arabam,
Imperat

Imperat inuito:paruo post tempore sed me
Pœnitet erroris, socijsq; hortantibus vltrò
Illum adeo, & supplex oro, ne cogitet vti
Promissis,ille indignans negat. Haud facio,inquit,
Ius est,vim nullam feci, si tu antè negasses,
Tunc erat,vnde aliud peterem:nunc tempore lapsò
Non est,culpa tua est: cras mitte caballum,
Expensauè tua meliorem fortè parabo
Vectorem:Quid agam?Mitto sextertia septem
Sic iussus, primum cupiens euadere damnum.
It,redit, & mulam, quam nostro duxerat ære
Nuntiat extinctam,nec vult defendere causam.

* IN AVAROS. *
Satyra X.

QVis nescit quod nigra alis,& corpore cornix
Clam sibi mobilium plumas furata volûcrum
Insignem se finxit auem,tumefactaq; picto
Corporis ornatu, genus omne volatile tempsit?
Nulla sed æternam patiuntur crimina noctem.
Inditio corui patuit dolus,arte retecta,
Vnguibus,& rostris auium spoliata remansit.
Quam bona pars hominum plumata similiter audet
Esse grauis populo,cuius vestitur amictu.
Quid populus? patitur fures,furatur & ipse;
Nec pudor est, ipso crimen defenditur vsu.
Vnde hæc tanta lues, vnde hic tam largus habendi

Ardor


Ardor inardeſcit? Quo tellus docta magiſtro
Hoc didicit? Quibus hic truncus radicibus exit?
Eſt dea iam ſenior, cuius pars maxima venter,
Creſcit in immenſum, ſed non ſaturatur edendo.
Ipſa rapax, oculata, vorax, hydropica peſtis,
Æterna ægrotat chiragra, æternaq; podagra
Non equitat ne paſcat equos, pedes ire per ignes
Per brumale gelu nudatis calcibus audet.
Si lucri ſpes vlla vocet, cum Lynce vel Argo
Contendit viſu, ſordet fœdiſſima vultu,
Pauperiem fugiens, in paupertate moratur.
Quoque magis fugitur, tanto magis inſtat egeſtas.
Non habet hæc aures, olfactu ſurda canino
Inueſtigat opes, & lucra latentia ſentit.
Non oculis lachrymas, non exprimit ore ſaliuas,
Flare timet, nam flare etiam iactura putatur.
Hæc Erebi tabes, hæc immundiſſima vulpes,
Quas habet ipſa ſibi, miſeris mortalibus artes
Tradidit, hinc omnes, quamuis non omnibus vna
Regula furandi, non omnibus vna facultas,
Omnes in ſtudio certatim curritant vno,
Cui finis, cui meta deeſt, Rex, conſul arator
Exquirunt eadem, quamuis non tramite eodem.
Quærit arator opes vt ſit de ciuibus vnus,
Conſul auet regnum, Rex ardet vincere Regem,
Nec victor contentus erit. Nec ciuis, arator,
Nec conſul regale decus ſatis eſſe putabit.
Limes auaritiæ mors eſt, non copia rerum.

Omne

Omne aliud vitium domino canente senescit,
Cupiditas seris semper iuuenescit in annis.
Si bene rem teneo, quidam pater oscula nato
Libauit, moriensq; illi documenta reliquit,
Non seruo linquenda suo, linquenda nec hosti.
Nate vides cani iam mortem instare parentis,
Extremumq; diem, qui me tibi, rem mihi statim
Auferet, exaudi dum non vocat hora, docebo
Quo poteris seruare modo, & duplicare meam rem.
Paupertas infame malum, cui sola medetur
Copia, paupertas irrisco gentis & orbis.
Iccirco cum iam fuerit tibi formior ætas,
Si potes vxorem locupletem ducere ducces.
Tota domus duo sint, ambobus seruiat vxor.
Quære, vide, vigila, ne te iactura quadrantis
Pauperet, è gemino constat quadrante numisma
Si conuiua socer forsan tibi venerit vltrò,
Hospitis aduentum multum nescire iuuabit,
Sed finges nescire sciens, sic prandia longa
Non stabunt sumptu, sumptu nutritur egestas.
Adde quod interea vigilandum lumine vtroq;
Vt quæcumq; tibi ostendat occasio lucri
Non fugiat, nec te pudeat in fœnore nummos
Ponere: nemo repente fuit sine fænore diues.
Mercibus inserui sapiens, indulge beatis
Diuitibus, quorum plumis ditescere possis.
Si tibi rem quando minuet fortuna vel æquor
Nocte recensebis totius lucra diei.

Intabulis,emitur pretio maiore papyrus.
Quis Deus hos homines non fulminat, inq; profundũ
Detrudit, voluitq; illuc vbi Plotius heros
Inter aquas,interq; dapes sitit atq; famescit?
Pro pœna nisi vita datur, quid durius illa?
Nonne vides illos qui non dum sole renato
Iam delubra petunt,nequis mendicus in illis
Occurrat,victumq; petat: quo deniq; viso
Auertunt simos tanquam de gorgone vultus.
Sarcophagum vidisse putant, mox alta tuentes
Numina suspirant,aurum non numen adorant.
A templo ad merces,& mercurialia furta
Concurrunt,omnesq;locum glomerantur in vnum,
Hoc faciunt quamuis hyemali sidere cœlum
Grandinat,aut terras rabiosa canicula scindat.
Nam genus hoc hominũ tanquam inuiolabile, nullas
Corporis ærumnas: morborum nulla verentur
Nomina,non mortem:paupertas sola timetur.
Si sapis interea lateat tua ritè crumena.
Dextros inde lupos, harpyias inde sinistras
Ire puta,atq; caue: soror est vsura rapinæ.
Protinus ad cœnam fœdis à mercibus itur.
Prandia non norunt,cœnatur paupere victu,
Vinosi non vina bibunt, laudatur inemptæ
Haustus aquæ,ventri vix intestina gulosi
Sufficiunt:laudantur aues quia gratis aluntur.
Adde quod in somnis cum certa membra quiescunt
Mens requiem libare nequit, sed tota diurnis

Hæret imaginibus, confusoq; ordine rerum
Nocte retractantur eadem quæ luce geruntur.
Discedunt, redeunt, vendunt, mercantur, anhelant
Diuitias, armant laqueos, suspiria tollunt.
Dij Stygis infernæ tortores gentis auaræ
Non aliàs vestro quæratis carcere pœnas;
Non alios luctus, quam quod testator auarus
Hæredem inuitus videat, qui fluminis instar
Torrentis diffundat opes, censusq; paratos
Sexaginta annis, autumno absorbeat vno.
Nemo tamen pœna torqueri dignior ista
Quam qui propter opes famam contemnit & odit.
Hi sunt qui solo quærentes fœnore lucrum
Diluuium autumno, soles æstate precantur.
Hi sunt qui spatio possunt formare diurno
De tumulo montem, de pumilione gigantem.
O distendendos homines, qui semper euntem
Ante vident, nec respiciunt qui ponè sequatur
O animæ viles, quarum terrena Cupido
Incipit à censu, & censu finitur in ipso.
Vos quibus æs desit leuiter si ferre potestis
Paupertatis onus, nulli inuideatis auaro.
Omnis auarus inops, seruit non imperat auro.



OPERVM

POETICORVM IACOBI FALCONIS VALENTINI.

LIBER IIII.

COMPENDIARIA TOTIVS de moribus Philosophiæ iuxta Ethica Aristotelis descriptio.



VID Pulcros faciat mores quo tempore vitam
Excolere humanam, vitijsque imponere frœna
Expediat: quæ cura domus, quæ forma regendi
Sit populi, & quantùm valeat prudentia vbiq;
Carmen erit. Dexter venias mihi carminis autor;
Ante tamen iuuenes expellam limine nostro
Ignaros rerum: venit experientia ab annis

Talis

Talis enim ruditate sua præsentia nescit
Iungere præteritis,& coniectare futura.
Adde quod hæc ætas,cùm sit proclinis ad iram,
Ad Venerem,& quicquid mortalia pectora turbat,
Credo,operam perdet:nam quamuis hauriat omnes
Disciplinæ vndas, optato fine carebit.
Nam non cognitio,sed prudens actio,finis.
Quòd si aliquis fortasse senex iuuenilia gestet
Pectora,tantundem est:nam quamuis discrepet ætas
Inter eos multum,non multum discrepat error.
Ergo senex talis,quamuis Ioue sugat ab ipso
Verba,nouemq;annos purgatas præbeat aures,
Nil opis expectet :nam fiet inutilis illi
Cognitio,vt ratio multis,qui recta videntes
In peiora ruunt,quod Socratis vmbra negaret.
Omnia quæ fiunt,ob causas facta videntur
Quæq;suas,propterq;bonum, quod finibus hæret.
Hinc omnes pendent artes,hic omnia morum
Officia inuenies.Iure ergò sancta vetustas
Credidit,& nostro sententia tempore viuit,
Summè illud præstare bonum finemq; supremum
Omnibus esse bonis,ad quod bona cætera tendunt.
Talis enim finis, quanquam est extremus in actu,
In mente est primus:nec tantum est ordine primus,
Sed quoq; natura:nam cuncta feruntur ad illum.
Finis item duplex:opus,actio.Pulcrior horum
Actio:verùm operi quæuis operatio cedit.
Non tamen hoc solo fines discrimine distant.

 Nam

Nam quot ſunt actus, tot fines eſſe fatemur.
Finis enim medico lapſam reuocare ſalutem,
Cultori agrorum maturos carpere fructus.
Verùm alijs alij ſubſunt:elementa docere
Infra Grammaticam eſt,hanc Oratoria finit,
Ars quoque frænorum ſub equeſtri clauditur arte,
Exuperatq; illas ars bellica,nec minùs ipſa
Subiacet alterius ſorti:ſic cuncta feruntur.
Si placet exemplum:ſic terram vaſtius æquor,
Æquora ſic aër,ſic aëra circuit ignis,
Quos omnes vno circundat corpore cœlum.
Hoc quoq; perſpicuum eſt illos excellere fines,
Qui ſibi ſubijciunt alios, maioreq; gaudent
Circuitu: nam cauſa horum verſamur in illis.
Ergo ſi finis quiſquam eſt in rebus agendis
Tam pulcrè affectus,placeant vt cætera ob ipſum,
Ipſe ſui cauſa,cuncta hic humana videbit
Infra ſe poſita,& ſolus nil appetet vltrà.
Hic autem finis non ſolum fulget in orbe,
Sed dignus ſcitu eſt,& magnam cognitus affert
Humanis in rebus opem.Nam ſi quis ad illum
Spectet,vt ad ſignum,non longè errabit arundo,
Et rarò in vita plauſum,riſumuè mouebit.
More ſagittantis,qui nuſquam dirigit arcum,
Oblituſq; ſcopi, diſpergit tela per auras.
Cumq; ità res habeat,pictoris munere fungar,
Et facili exemplo veram moſtrabo figuram
Illius finis, qui nullo fine tenetur

Ipſe tenens alios,numerumq; nouiſſimus implet:
Ne quemquam lateat cuius ſit ſortis, & vnde
Ad nos perueniat,quauè arte, modouè paretur.
Nam non exilis,nec contemnenda videtur
Tanti cauſa boni,ciuilis nempè facultas.
Hæc etenim quas eſſe artes,& quattenus illas
Diſcere conueniat,per magnas præcipit vrbes.
Nam bene dicendi populo auſcultante facultas,
Augendæq; rei ſtudium,præclaraq; belli
Cura miniſtrandi,ſoli huic ſubiecta videtur.
Hæc oratorum dominantia dirigit ora,
Vt res humanas tranquilla in pace gubernent,
Magnanimoſq; duces diuina deſtinat arte
Bellica ad imperia, & vincendos fortiter hoſtes.
Hæc ergo accedit ſupremo proxima fini,
Illi,inquam,fini,qui cunctos vltimus ambit,
Et ſeſe oſtendit toto mirabilis Orbi,
Qualis Eoa Venus,vel Cœli diſcolor arcus.
Quò fit,vt hic finis ſolus duntaxat,& vnus
Humani ſit ſumma boni,ſummumq;bonorum.
Eſt igitur pulcrum,virtutem afferre ſalubrem
Cuiuis mortali,ſed longè pulcrius eſto
Seruare à vitijs plenas mortalibus vrbes.
Hic ſcopus eſt homini,qui vult humanior eſſe,
Quem ſolum è cunctis animal ciuile vocamus,
Difficile eſt,fateor,ſed fretus Apolline Nitar
Dicere quod ſtatui:& factum ſatis eſſe putabo
Docto lectori, ſi res monſtretur vt eius

Monstrari natura sinit:nam multa recusant.
Contemplare artes:vellent aliquando rebellem
Vincere materiam,sed nulla industria prodest.
Hic hominum mores ciuili incude domnantur:
Et magnus me sudor habet: nam iusta quibusdam
Non ita sunt alijs,nec semper ciuibus isdem
Sunt eadem:passim tempus,fortunaq;mutat.
Tantus inest error, tanta inconstantia versat,
Vt lege à sola nasci ciuilia iusta,
Non a natura,quiuis persuadeat autor.
Vt pater Oceanus cunctarum est finis aquarum,
Et quoq principium:nam præbet fontibus vndas,
Ex vndis amnes,ex amnibus efficit æquor
Sic quidam est finis,qui dat primordia rebus,
Perq;gradus certos ad se trahit omnia primus.
At nunc tale bonum tota perquirere vita
Est animus,quod quisq;paret,nemo auferat vnquam,
Non suprema dies,non ipsa iniuria mortis.
Ast ea quæ dixi, melius dicentur opinor,
Si tres in partes humanam scindere vitam
Musa velit,iubeatq; alias,aliasq; valere.
Sit iocunda prior,contemplatrixq; secunda,
Tertia ciuilis:quæ verò prima sit harum
Ambigitur multis,& habet sibi quæq; patronos.
Importuni homines,& veræ laudis egentes,
Fæx hominum iurant,constanti pectore iurant
Esse voluptatem: trahit illos sola voluptas.
Complures olim rerum cognoscere causas,

Vestigare

Vestigare polum, Nereum peragrare sedentes
In primis posuere, sed hos quoq; distrahit error.
Dignius haud aliud, sic stat sententia cunctis,
Humana virtute bonum, nec sanctius vllum est:
Quàm cœtus hominum, quos nomine dicimus vrbes,
Iungere amicitia, componere legibus æquis,
Arcere à vitijs, sanctorum dogmate morum
Imbuere, haud dubia imperij argumenta beati.
Iam mare sulcamus, nec adhuc ostendimus vnde
Auspicer hanc partem, quò nostra oratio tendit:
Nam licet à causis, & ad ipsas pergere causas
Ordine mutato, & finem indagare petitum.
Cerne biceps stadium, cum iam certamina tentant
Magnanimi Athletæ: nam tunc fit motus ab illo
Principio ad finem: cùm verò ob præmia currant,
Quæ longè apparent supremo in fine laboris,
Hoc quoq; principium est, & ab illa parte mouentur,
Diuersos igitur motus cum Plato videret
Corporis, atq; animi, rectè dubitare solebat
Vtrum à muneribus, nam propter munera currunt,
Sit via, vel contrà: sed contrà dicere præstat,
Vnde athleta mouet, quamuis à calce mouetur.
Nam magis hoc nostrum est. A notis ergò licebit
Incipere, & primas retrorsum quærere causas.
Sed quædam ex seipsis, quædam sunt cognita nobis.
Vt nostri mores, quos ignorare nequimus,
Quorum notitiam dant omni tempore sensus.
Ergò operæpretium est, ciuile hoc munus ab ipsis

Moribus ordiri: prima hæc plantaria ſunto
Ciuilis campi, ſi fructum carpere oportet.
Hoc, hoc principium eſt, bene cultum pectus habere.
Quod ſi ità conſtiterit, ne primo in limine quæras,
Cur habeas, aut vnde habeas, ſed lætus habeto.
Nam benè moratus vel iam ciuilia nouit
Principia èx ſeipſo: aut facilis penetrabit ad illa
Me duce: ſi verò neutrum eſt, perdemus vterq;
Tempus ego, ille operam: melius ceſſabimus ambo.
Quare illum moneo, ne limina noſtra ſalutet,
Heſiodiq; illud ſibi dictum exiſtimet excors.
Ille Deo ſimilis, qui plenam lumine mentem
Accepit veniens vitæ mortalis ad vmbram,
Ipſeq; res omnes aperit ſibi, ſeq; magiſtro
Proficit, atque animum diuerſis artibus ornat.
Charus & ille Deo, qui gaudet ſorte ſecunda,
& docile ingenium materna traxit ab aluo.
Qui tamen vſque adeò natura deſide torpet,
Vt nihil ille ſciat, diſcat nihil, ille profectò
Et lapis omnino eſt, & nullam natus ad artem.
Ille mihi placet auditor, cui diſplicet ira,
Et Venus, & quicquid mortalia pectora turbat,
Nec ſinit affectus animo regnare, ſed omnes
Se rapit in gyros vna rationis habena.
Stirps hominis primùm materna creſcit in aluo
Arboris in morem, cum brutis poſtea ſentit,
Deniq; particulam diuinæ mentis adepta
Felici aſpirat vitæ: non conuenit autem

Inter

Inter mortales quænam ſit vita beati.
Ambitioſa alijs, alijs opulenta videtur.
Multi in delicijs illam ſtatuere: ſed omnes
Hi peccant: & ſæpe ijdem contraria dicunt.
Laudant diuitias cùm paupertate premuntur.
Cùm tamen ægrotant, nil ponunt ante ſalutem.
Vna eſt, quæ præſtat fēlicia gaudia virtus.
Sed pendent cœlo virtutis ſemina magna.
Principiò aſtrorum motus, & tempora, & ortus
Contemplare, valent noſcendis moribus aſtra.
Namq; elementorum quadruplex vt vis regit artus
Humanos, ſuperis ſic ipſa mouentur ab aſtris,
Inferiorq; omnis ſupremo ſubiacet orbi.
Et quanquam eſt animus diuino munere liber
Iure ſuo exercens in corpore libera regna:
Sæpius, heu, nimia miſerè peſſundatus ira
Nunc ruit in præceps: nunc clauum dira libido
Arripit, & totas quaſſat rationis habenas.
Sic nos ſidereas vires augemus; & ipſi
Si ſapimus, nec vana cano, retudiſſe valemus.
Principiò ſit ſancta domus, tum rideat æther,
Et Venus in Libra genitalem examinet horam.
Et Lunam excipiat magni præceptor Achillis:
Recipiatq; illam gaudens ante omnia Solis,
Et Lunæ inceſtum ſi vidit recta Virago,
Oppoſuitq; manum vultu. Tunc Spica per orbem
Exeat, inq; illa dominus talaria portans,
Et Patrem in Cancro dicentem iura ſalutet.

Nec graue Saturni ſidus, nec Militis enſem
Terribilem aſpiciat: procul hæc procul omnia ſunto.
Mars natet in Chela, lateat Saturnus in Vrna.
O fortunatum, genitus qui ſidere tali!
Scilicet ante omnes virtutis ſigna futuræ
Signa puer manifeſta dabit: nutricia verba
Exprimet ante annos, finget ſimulacra per ædes,
Inq; dies melior creſcet, ſimiliſq; ſuorum,
Si clara fuerint ornati mente parentes.
Quod ſi talis erit, nunquam te talia fallent
Indicia. In primis maternas lædere mammas
Neſciet, iratum placabit nænia quæuis.
Nec ſomni eſt auidus, materna nec oſcula fratri
Inuidet, ingentes clamores dente renato
Non dabit, ad ferulæ ſi dormitauerit vnquam
Porriget ipſe manus: ob amici verbera flebit.
Sponte throcum linquit, nec ſemper turbine gaudet.
Tardior ad ludos, ad chartas ocyor ibit.
Præbet littreulis aures, elementaq; prima
Indice percurrit calamo, ſentitq; pudoris
Neſcio quid ſecum, ſi quid præit ore Magiſter.
Paulatim tenero ſtudium cum corpore creſcit.
Nunc cera ſculpit vultus, nunc pingit arena,
Prouocat æquales alterna ad carmina vatum:
Victor agit mimos, dolet alto in pectore victus.
Sint procul intereà rubicundi ancilla coloris,
Et paruæ mentis cuſtos, & ſeruulus efrons.
Erranti caueant nimium indulgere parentes:

Nec

Nec pendere sinant prauis aulæa figuris,
Limina nec tangant cantantes fœda Poëtæ.
Sed potius, cùm iam veniret robustior ætas,
Hæc documenta legat, quæ magno tradidit olim
Regi, vir magnus Stagiræ insignis alumnus:
Vt cum præceptis iungat virtutis amorem.
Ergo age ne pereant virtutis semina tantæ,
Excole fœcundum natum Pater. Hunc tibi fructum
Cura dabit, capies communem viuus honorem,
Mortuus in nato viues, ibisq; per ora
Omnia, quòd fueris tam clari germinis autor.

FELICITAS.

Nunc operæ pretium est infausto dicere versu,
Quid sit felicitas, nam syllaba claudicat vna.
Nec res ipsa sinit tam dura atq; aspera dictu
Ornari verbis: satis est obscura docere.
Felicitas vera est, cum sit mirabilis actus,
Fitq; animi firma virtute, ætateq; firma
Corporis: in pueris siquidem prudentia non est,
Et fugit à senibus, cùm iam vltima viuitur ætas.
Atqui perfectus deest intellectus vtrisq;,
Quo sine non virtus, non est prudentia cuiquam.
Felicitas ergò non est, aut illa profectò
Non manet in senibus, quos delirare videmus,
Nec manet in pueris, quos insanire putamus,
Cùm senis & pueri vita imperfecta vocetur.

Quid bona fortunæ dicam, quæ vulgus adorat?
Multi ob diuitias, nec pauci propter honores
Absumpti ferro: quosdam periisse videmus
Corporis ob vires, multos sua forma trucidat.
Si bona fortunæ, bona corporis esse fatemur,
Atq; ea virtutis tanquam instrumenta probamus:
Quis negat his demptis confestim euadere mancam
Iustitiam, atq; alias pariter dormire sorores?
Nec sic accipias, vt calleat omnia quisquam
Mortalis: fortuna negat, naturaq; rerum.
Sed velut in tectis, cùm fundamenta locamus,
Singula quisq; parat, verùm cura omnis ad illum
Pertinet artificem, qui totam concipit vna
Mente domum, & varia multorum fungitur arte.
Omne bonum duplex, aliud dixere priores
Apparens, aliud verum: sequiturq. voluntas
Nunc hoc, nunc illud: si sit prudentia, verum.
Si contrà, apparens: nam mens humana vacillat.
Sæpe inconsulta, aut spreta ratione voluntas
Sensibus indulget, vel cœlo praua, vel vsu.
Quod si vtroq. modo, non est medicabile damnum,
Quattuor ergo vides, vnde omnis nascitur error
Peccandi fontes, memor illos mente teneto.
Nos alias moris virtutes esse fatemur,
Naturæq. alias: nam nemo prodit in orbem,
Quin trahat à cœlo virtutis semina quædam,
Aut vitij: nec enim frustrà cœli astra rotantur,
Nos tamen alterutram matura ætate sequentes,

Aut

Aut aduersantes melius,vel peius habere
Possumus.Hoc nostrũ est & nostro è pectore manat.

FERDINANDVS PHILIP-
pi Secundi Hispaniarum Regis filius,
qui obijt annum agens
octauum.

EXemplum hoc esto.Cum Ferdinandus ab aluo
Prodijt in lucem,fulgebat Libra per ortum,
Et Venus infesto Chironem calce premebat,
Iuppiter in bifida portabat lumina cauda,
Candida fluctiuagum per Cancrum Luna meabat,
Inq. Sagittario Stilbon fuit,ambo potentes
Ambo leues cursu,fulgentes ignibus ambo.
Tantum Mercurius proprio de culmine lapsus
Dat gemitum,Infernaq.dolet tabescere porta:
Et Luna,heu,nimium gressu tardatur anili.
Diuinos igitur mores,Regemq. beatum
Expectare licet.Sed quis promittere talem
Audeat?Id totum poterit turbare voluntas
In prauas distorta vias,sensusq. sequuta.
At si non deêrit iuuenis sibi,Parcaq. stamen
Ante annum decimum non frangit,gaudia terris
Quanta dabit:tali felicem ô Principe mundum!
Vincet auum bello,vincet pietate parentem,
Iustitia æquabit:nil vltra dicere possum.

PARTES ANIMÆ.

Sex anima in partes non re, sed nomine solùm
Diuiditur, quarum vna sapit, munusq; secundæ
Appetere est, diuersas vndiq; tertia formas
Accipit, & reddit: quarta est quæ cernit, & audit:
Quinta dat & retinet quæ vitæ postulat vsus.
Vltima corpus alit rationis funditus expers.
Hac sola excepta, reliquis dat iura voluntas
Non sua, sed mentis, cui semper libera paret
Sponte sua, ne fortè erret, ne quærite posthac,
Imperet vtra magis: natura hoc iudice planum est.
Nam quis non sentit potiùs regnare Senatum,
Quàm stulti Regis sceptrum, diadema, tribunal?
Re tamen has partes, ad tres restringimus omnes,
Tres animæ asserrimus partes, diuersaq; earum
Munera, diuersas sedes: nam prædita mente,
Quam penes est omnis ratio, rationeq; ab ipsa
Nomen habet, summa consistit corporis arce,
Vnde suam plebem regali more gubernat.
Altera pars animæ, rationis scilicet expers,
Quæ viget in plantis tota est in corpore alendo.
Tertia natura est compos rationis & impos.
Nam quiddam paret rationi, vt recta voluntas
Quiddam non paret, velut ira, & cæca cupido.
Deniq; particulam diuinæ mentis adeptus
Euadet felix, qui se rationis ad vsum
Componet, pergetq, aliàs contemnere vitas.
Sin minùs, ad plantas demens & bruta radibit.

APPE-

APPETITVS.

His ita compositis superest malesana Cupido
Sit facili obsequio, & mentis præcepta facessat,
Ireq; iussa abeat, vel sistere iussa resistat.
Libera res homini est & velle, & nolle, sed vnde
Quæ mala non vellem facio, & contraria contra?
Tanti causa mali duo sunt monosyllaba, mens, mos:
Hæc foris, hic intus: hic seruit, & imperat illa.
Nec verò totam perimit vis maxima culpam,
Sed minimam reddit: nulla illic penè voluntas.
Mos etiam prauus vitio interiore Tyrannus
Deserere officium cogit: sed cogit ob eius
Qui peccat culpam, trahimurq; à more sinistro:
Vultq; modò inuitus, quod gaudens antè volebat:
Ergo spontaneum est, quoties peccamus ob iram,
Obq; metum, vel propter opes, vel propter amorem.
Primum sentit homo, & noster sic sensus agendi
Quoddam principiũ est: sed nunc nõ quærimus illud,
Quod nil laudis habet, quod multum à fine recedit,
Sed mage coniunctum, contenta est nostra duobus
Actio principijs: hæc sunt mens, atq; voluntas.

PRVDENTIA.

Ante voluntatis sermo fuit: at modò restat
Dicere de magna mentis, morisq; ministra,
Per quam sic fortis, peragit qui fortia, pugnat,
Et iustus qui iusta facit: prudentia nomen.

Circi-

Circinus vt verum planè indicat,& trutina anceps,
Quid plus quiduè minus nutanti examine quærit,
Vt lance æquata det iustum denique pondus.
Non secus in dubijs graditur prudentia rebus,
Et verum explorans nunc hàc,nunc flectitur illàc,
Nec sistit donec falsis experta remotis
Hoc,inquit,medium est,& tunc immobilis hæret
Non est astuti tam magnum nomen habere,
Solertisq. animi, nec mentis credo sagacis.
Nec mens sola potest,aut experientia longa
Reddere prudentes, sit quamuis vtraq.pollens,
Sed duo sunt vnà prudenti optanda futuro,
Vis mentis,morisq. habitus:desiderat alter
Semper opem alterius,ne multum desit vtriq.
Neuter enim satis est,si non sibi mutua præstent
Auxilia, atque ambo concordi pace ferantur.
Vis autem mentis de qua modo mentio facta,
Non est calliditas,non est solertia,non est
Dexteritas,sed quædam ingens habilisq; facultas
Omnibus his constans,aut saltem his omnibus vtens.
Nam quamuis omnes vltrà,citràq; mouemus
Corpora,non omnes agiles sumus.Hoc quoq; facto
Dic agiles illos,quibus hæc præstantia mentis.
Contigit è cœlo,nam non aliundè perfecta est.

HABITVS.

Longa dies habitum peperit,genuisse voluntas

Dicitur

Dicitur, ipsa suis ratio portauit in vlnis.
Diximus hæc altè,& nimium fortasse poetam
Egimus, obscuris addamus lumina verbis.
Non illum nobis tribuit natura, nec ipsam
Præter naturam est, primordia ducit ab vsu:
Ille viam sternit, cùm nos electio ducit,
Et dux ipse subit, si quando electio dormit.
Hæc duo cum coëunt, virtutem deniq; gignunt:
At semel imbibitus fit consuetudine longa
Naturæ similis, nobisq; tenaciùs hæret.
Vix habitum nobis habitus contrarius aufert.
Nec bonus est tantùm, sed eum qui possidet illum
Impertit bonitate sua, redditque beatum.
Acris equi bonitas sessorem seruat ab hoste.
Et virtus oculi visum mihi reddit acutum.

PRVDENTIA.

Sæpè mihi dicta est prudentia, non tamen vnquam
Dicta satis, vestro, Musæ, succurrite vati.
Vix hæc edideram, cùm vespertilio nostram
In mentem venit: cur autem venerit, audi.
Hic primùm ancipiti natura præditus errat
Circa tecta hominum, atq; hominum per culmina degit.
Propter humum volitat, nec nido prodit in auras
Luce nisi dubia, fugiens noctemq;, diemque,
Tanquam offendatur nimio, paruoq; nitore.

Protinus exclamo,talis prudentia talis.
Nam partim humana eſt partim diuina,nec altas
Res vnquam agreditur,nunquam cœleſtia tentat:
Tota eſt circa homines,tota eſt per tecta per vrbes:
Conſulit in dubijs pro te,pro tempore,vitat
Res hominum claras,vbi conſultatio nulla,
Et nimis obſcuras,vbi conſultatio fruſtrà.

VIRTVS MORALIS.

Virtus in nobis oritur,cùm ſæpe fit idem
Actus,& in medio ſponte eſt:ſed quod ſatis vni
Non eſt Miloni,nimis eſſet fortè duobus
Ad cœnam.Quarè medium non ſemper ibidem.
In noſtro eſt actu,quia ſæpe eſt alter,& alter.
At medium in rebus ſimplex duntaxat,& vnum
Eſt ſemper,ſiuè eſt ſaxi,ſiue arboris illud.
Vtq; magis liqueat,ſi quis tibi millia centum
Largitur,multum largitur:præſtet in arctis
Rebus idem, dabit ille parum,det millia tantum
Quinq; aliàs,& fortè minus laudatur,amatur.
Virtus extremum eſt,vitium ſi reſpicis vnum,
Si duo,dic medium: nam diſſidet vna duobus.
Hinc vitia inter ſe contraria dicimus eſſe,
Et diſtare magis,quàm virtus diſtat vtroque.
Nil ſine menſura pulcrum Natura creauit.
Deme modum rebus, demes quoq; rebus honorem:
Quod deeſt,aut ſupereſt virtus moralis abhorret.

Felix

Felix qui tenuit medium inter plusq; , minusq; .
Tale tamen medium nobis prudentia monstrat,
Quæ cui contingit,contingit maxima virtus.

QVID SIT MEDIVM.

Cum sit de medio dicendum sæpius audi,
Quo pacto accipias illud,ne forsitan erres.
Nil aliud medium est, nisi quædam in rebus agendis
Temperies, quæ non semper consistit ibidem,
Sed tenet hanc,illam,pro re, pro tempore sedem.
Hoc equidem verum, sed dicere clariùs opto:
Quod facere enitar: fortè hæc exempla iuuabunt,
Si quidam armatus quendam aggrediatur inermem,
Neuter erit fortis cum sit temerarius alter,
Alter se plenum misera formidine monstret.
Si verò armatum quidam aggrediatur inermis.
Aut septem armatos quidam aggrediatur inermis
Luce palàm,causáq; boni,vel propter honestum:
Hic sanè fortis, vel forti proximus esset.
Plus tamen à primo talis distare videtur,
Inter eos medius,qui per contraria peccat.
Exemplum in numeris(quantumuis durarepugnet
Syllaba felici metro parere) docebo.
Cùm duo sex superent, & sex excedat eodem
Denarius numero,medium quod quærimus,hoc est:
At non quinarius,qui partes scindit in æquas
Totum denarium simplex hoc semper,& vnum

Est medium, ast illud citrà consistit & vltrà.
Distat Solstitijs tantundem Libra duobus.
Sed Sol hinc Cancrum magis vrit, quam Capricornũ.
Ergo temperiem dabit illis Chela, vel Arcus,
Et neuter medium Tropica inter signa tenebit.

RATIO.

Restat vt ostendam, ratio quæ recta vocetur,
Quiduè secùs: rectam rationem dicimus esse,
Quam graue consilium è multis rationibus vnam
Eligit, vnde suum sortita electio nomen.
Mens animæ est oculus, quodq; est in lumine visus,
In mente est ratio. Deus hoc, Sol exhibet illud.
Diuinum est igitur rationem in rebus agendis
Sponte sequi, aut saltem rationi obsistere nunquam.
Nonnè manus nobis opera ad diuersa, pedesq;
Ad cursum natura dedit? Non aure videmus,
Non oculo audimus, capit os, non prandia nasus.
Ergo si partes hominis sua munera quæque
Exercent, cur totus homo sine munere certo,
Officijq; exors tam multos exiget annos?

IVSTITIA.

Iustitia ingreditur, liceat mihi dicere pompam,
Qua redit à Cœlo terras visura relictas.
Ante omnes terror præconis more præibat,

Et

Et tuba cantabat, procul hinc, procul esse profani.
Pœna sequebatur multis circundata culpis.
Ipsa bifrons Virgo cœlesti insiderat arcu,
Oreq; sublimi retrò spectabat, & ante.
Germanæ mediam portabant numina magna,
Sed magnam optabant surgentem æquare sororem.
Vtq; ensis superas rectus tendebat in auras,
Sic trutina in nullam vergebat brachia partem.
Dextera Pygmæum monstrabat, læua Gigantem,
Antiquos hostes, & monstra informia visu.
Vtq; alius Dinam superabat pectore toto:
Sic alium toto superabat pectore Diua.
Pauca loquebatur, sed quicquid ab ore cadebat
Ius erat, aut iuris compos, mutabile semper:
Scribebat voces, itidem delebat easdem.
Longè odium, longè ibat amor: postrema tenebant
Agmina clamosæ lites, miseriq; clientes:
Claustraq; codicibus stipata, grauesq; patroni.
Illam cœlesti reuocauit ab arce Philippus,
Excepitq; domo venientem, altoq; locauit
In solio, festa rediminit tempora fronde.
Quattuor è ventis plaudebant vndique gentes,
Ridebat mundus. Sed rarò gaudia durant.
Ecce puer Carolus, cur nostram, dixit, in aulam
Hospita venisti? Cur ensem fœmina portas?
Tolle tuas lances, nihil isthæc pondera curo.
Da ferrum nobis, ego sum, ne fortè recuses,
Humani generis Princeps, ego, cui noua Cœlum,

 Sidera,

Sidera, terra nouas aperit trans æquora terras.
Regnator, Caroliq; nepos, virtutis & hæres.
Sic fatus nudum rapit imprudentiùs ensem,
Ensem, quem cœlo tulerat diuina Virago,
Ensem, quem nulli mortali impune licebat
Tangere, tactus eo frustra medicamina velle,
Frustrà orare Deam, frustrà implorare parentem.
Vidimus ergo illum primæuo in tempore vitæ
Impositum feretro, & magna sub mole sepultum.

IVSTITIÆ PARTES.

Iustitiam Graij voluerunt esse bimembrem,
Vnde bipartito per terras nomine gaudet.
Prima igitur dat cuiq; suum, sed pacis honores
Respicit, & belli: cum dat, plus milite ductor
Accipit è cumulo: plus aufert ciue Senator.
Plusq; hoc æquale est, ad munera namq; refertur,
Nec duo sic vnum superant, vt quattuor octo.
Sed ratio est eadem, cùm maior summa minorem
Hic duplet, atq; illic, vt monstrat plana Mathesis.
Altera Iustitia est, quæ libra insignis & ense
Pingitur, hac trutinat culpas, hoc crimina punit.
Auris aperta vna est, clausa altera: præbet apertam
Questibus, at clausam sontiq; reoq; reseruat.
Et cum ius dicit, duo semper lumina claudit,
Ne causam ditis probet, aut miserescat egentis.
Semper sollicita est, vt damnum quisq; reportet

Quod fecit, (miseros sic subleuat, vrget iniquos)
Non dico, vt sit idem: satis est æquare dolorem
Hoc, illouè modo. Fuit olim talio pœna
A re nomen habens: iustum est cùm tale subimus,
Quale malum dedimus, sed non tractabile iustum,
Atqui par, & idem magno discrimine distant.
Par numquam iniustũ est: at idem quandoq; laborat.
Nonnè duos oculos si quisquam detrahat Argo,
Atq; reus fiat lege illa cæcus abibit?
Plusq; reportabit damni quàm lumine læsus;
Adde quod in furtis non æquat talio culpam.
Nam minor est iusto, si fur vas vase rependat.
Quarè in adæquandis explosa est talio pœnis.

INIVSTITIA.

Nunc iniustitiæ partes & membra docebo,
Quæ genere est duplex: damnum altera gentibus in-
fert,
Altera non prohibet. Sic est suus error vtriq;.
Nec minus in vitio est, alium qui lædit ob iram.
Obq; metum, vel propter opes, vel propter honores.
Quàm qui alium seruare potest, & linquere mauult
Sub cultro alterius, ne parua (heu) cõmoda perdat.
Qui verò officium prætermisère, cauentq;,
Ne sua corrumpant alienis otia curis,
Neuè inimicitias pariant sibi, neuè tumultus.
Neu faciant sumptus, iure accusarier optant.

LIBERALITAS.

In nummis etiam dandis extrema pererrant
Prodigus imprudens, atq; expers mentis auarus.
Ille nimis diſperdit opes, hic ſeruat eaſdem
Plus ſatis: ambo mali, minor autem culpa prioris.
Vnus plus iuſto, iuſto minus accipit alter,
Error vtriq; ingens magis autem ſordidus errat,
Contrà alij doceant, verum ſententià nobis
Hæc placet: in media conſiſtit ſede benignus,
Qui dare vult ſemper, ſed dat quod tempore oportet,
Ex quibus, & quando, ſicut prudentia dictat,
Antè, retroq; videns, exploranſq; omnia circùm,

FORTITVDO.

Audaci timidus, timido contrarius audax,
Ambobus fortis. Quarè illum pellit vterq;,
Summouet ille ambos, mediaq; in ſede reſiſtit.
At medium non ſemper idem, ſed mobile punctum:
Pluſq; ambo interſe diſtant, quàm fortis vtroq;.
Lis eadem in multis: multos oſtendere poſſum,
Qui facere egregios pro re, pro tempore ſumptus
Non dubitant, idemq; animos, cum bella geruntur,
Deſpondent. Multi fortiſſima pectora geſtant,
Sed Veneri tendunt palmas, ventriq; furenti
Turpiter indulgent, alius non eſt Deus illis.

Nec

Nec rarò fuluum præclaris mentibus aurum
Imperat: at fortis cunctis in rebus honestum
Se gerit,& iustum,& contra vitia omnia fortem.
Hoc quoq; magnanimi est aliorum facta tacere
Egregia,atq; etiam sua non audire libenter.

INSENSIBILITAS.

Ille quidem lapidi similis, cui nulla voluptas
In gestu est,nec nomen habet,quia talia desunt.
Exempla in terris:rarò est torpere palatum.
Insulsamq; hebeti lingua glutire saliuam.
Insensibilitas dicatur carmine nostro.

INTEMPERANTIA.


Huic sese opponunt comedones strenui,& acres
Vini potores,vero autem nomine ventres.
Non deest huic vitio nomen,quia magna per vrbes
Copia lurconum est: sed leges carminis horret.
Dic intemperiem,illuuiem fœdumuè barathrum,
Monstrosum,infundum,vitium commune ferarum,
Quo non in cunctis homini est indignius vllum.
Inter vtrunq; sedet,sed longè distat vtroq;
Sobrietas,vitæ,& menti tutissima virtus.
Omnia quæ dixi de tactu hæc omnia dicta
Esse volo,mutent nostræ modò paucula Musæ.

PVDOR.

Nec pudor est vitium, nec virtus esse videtur,
Sed quidam affectus virtuti affinis: at omnes
Non decet ætates: iuuenes, ni fallor, honestat,
Dedecoratq; senes, illos, quia displicet error,
Prosequimur venia, aut aliquo dignamur honore.
Hos, quia in errorem labuntur tempore tali,
Odimus austeri, & semper peccasse putamus.
Dixerit hic aliquis, quos censes esse beatos?
Nunquid eos solos, qui se virtutibus ornant?
Non ego: nam virtus etiam imbecilla videtur,
Cum vacat officio, aut alia ratione quiescit.
Tempore nam somni sapiens nil distat inerte:
Nec bonus à nequam differt, cum dormit vterq;
Aut cessat: nam neuter agit, tamen actio finis.
Ergo sola potest operando exercita virtus
Reddere felices, virtus electio rerum
Ex habitu manans inter nimiumq; parumq;
Nacta locum: cuius semper prudentia dux est.
At medium non semper idem, sed mobile punctum.
Nam quis ferre potest, vt delectabile sit rus
Ruris amatori, studioso laudis honores,
Laus auidos laudis capiat, studiosus equorum
Oblectetur equis, solus virtutis amator
Ploret, opusq; suum nulla inter gaudia ponat?
Iusta iuuant iustum, delectant fortia fortem.

Quod nisi concedas,in promptu est dicere causam.
Crescere commune est,commune est sensibus vti,
At non commune est vsum rationis habere.
Solus homo tali donatus munere pollet:
Pollet in his autem,quæ sunt asperrima factu,
Sed fieri possunt:& possunt non apud Indos,
Nec post mille annos,sed nostra ætate,penesq;
Nos ipsos: aliter nobis non vtilis esset.
Hæc mihi dictabat Phœbus regnante Philippo
Re super Hesperia, & sæuas vastante Liburnas
Gentis Othomanæ,quæ toto Oriente potita,
Vastataq; Cypro,bellum conceperat vltra
Ionium:cum iam Venetis diffideret armis
Adria,deq; sua dubitaret Roma salute.
Legibus intereà,sceptrisq; accessit Iberis
Terra ingens, auriq; ferax,amplissima regna
Alterius mundi, atq; alio circundata cœlo,
Par Asiæ,Libyæq; orbis,similisq; duabus.

OPE.



OPERVM POETICORVM IACOBI FALCONIS VALENTINI.

LIBER V.

FRAGMENTVM OPERIS epici de Hispania instaurata.



RES Miseri regis canto, qui victus ab Afris
Excessit patria, & desertis finibus hæsit.
Hîc alias miseri curas, hîc altera castra,
Maioresq; hostes, atq; intra pectora bellum
Expediam. Tu, Musa, refer quæ numinis ira,
Quouè errore suo tantas Hispania clades
Senserit, auersasq; vrbes, mutataq; sacra.
Ad finem Oceani sub cursum Solis & anni

Ingens

Ingens terra iacet, magni pars altera mundi.
Syluestres habitant homines, qui sola colebant
Astra, nec humanis parcebant cædibus aræ.
Quem ritum infernus dederat Sathan: ipse profanis
Intererat sacris, celebrabatq; Orgia præsens.
Sed tamen audierat tempus fore, cùm pia gentis
Hispanæ manus, Hispano de littore classem
Solueret, atq; illis meliora altaria ferret.
Id metuens, Christumq; videns per Bethica templa
Ritè coli, Stygij contemni numina Auerni,
Resq; suas labi, diras exarsit in iras.
Nec solum hinc odium, pendebant ordine ab alto
Irarum causæ: dolet æternùmq; dolebit
Sidereas liquisse domos, cæloq; ruisse
Præcipitem: venêre dies, auxitq; dolorem
Stirps hominis commista Deo, cæloq; reposta
Posteritas Euæ, deletaq; in arbore culpa
Arboris antiquæ, & turpi mors perdita morte.
Necdum animo exciderat nigri descensus Auerni,
Et fracti postes, & ducti ad sidera Patres.
Omnia quæ secum flammato pectore voluens
Obiecit Regi Cauam, patremq; furore
Imbuit, instrauitq; armis: nec destitit antè,
Quam Libycos Reges Hispania in sceptra vocauit,
Ilicet vt sanctas gens impia verteret aras,
Et Christo nunquam libarent Mexia regna.
Finis erat pugnæ, nec iam spes vlla dabatur
Amplius, ex omni vastabant agmina parte

Victores

Victores Afric ùm ſe Regi obuius Ontes
Obtulit, Æthiopum Princeps, ſanguiſq; gigantum.
Non illi lorica micans, non æreus vmbo,
Non clypeus, pellis victo direpta Draconi
Sufficit, hic belli thorax, his pacis amictus.
Dextera pro gladio ferratum ampluſtre gerebat,
Læua tegebatur magno teſtudinis orbe:
Vox quoq. terribilis fumoſa per ora ſonabat.
Viuis adhuc, nec te noſtri inclementia vultus,
Nec te fama mei totum vulgata per orbem
Separat à vita? Multos formidine ſola
Fecimus exanimos, valuit pro vulnere viſus.
Rex contra aurigam tali ſic voce profatur.
Nonnè vides illum, qui toto pectore ſurgit
Supra acies, ſupra arma virûm, quē nigra ſequuntur.
Agmina, quiq. humeros ſquamis horrētibus armat?
Aude in eum conuertere equos, aude obuius ire
Infando capiti, ſi priſca in pectore virtus,
Et te noſtrorum miſeret, tædetq. malorum.
Dixerat, & dictis parere auriga parabat.
Aſt vbi quadrupedes paruo diſcrimine monſtrum
Viderunt, tremuere artus, caudaſq., iubaſq.
Arrecti tranſuerſa ruunt: ruit actus habenis
Auriga in præceps, vitamq., & lora relinquit
Vulturnum, zephyrumq. vocans: rapit impetus illos
Fluminis ad ripas, vbi plurima creuerat alnus.
Fit fragor arboribus fractis, rumpuntur & ipſa
Corpora quadrupedum, totus quoq. ſoluitur axis.

Plauſtra

Plaustra, rotæq. iacent, tabulæ, radijq. per herbam.
At Regem excussum curru, terraq. iacentem,
Oblitumq. sui parua imposuere phasello
Lugentes famuli (sic fata, Deusq. ferebant)
Atq; vnus tales rumpebat pectore voces.
O vtinam princeps infelicissime nunquam
Ad vitam redeas: nam tali in turbine mortem
Non minus opto tibi, quàm læto in tempore vitam.
Optaui, cùm tantus eras, vt regibus Afris
Iura dares, nunc vincla tuis ceruicibus instant.
O quam fœda dabis toto spectacula mundo,
Cùm te Fessanæ cupient cognoscere matres,
Et Mira molini supplex alta ora videbis
Has inter voces, media inter talia verba
Luna maris commouit aquas, vel mundus anhelans,
Vel pater Oceanus fluuiales visere Nymphas
Optauit: vastus terra diffunditur æstus,
Aduentumq. Dei sonitus testantur, & vndæ
Maiores solito, & cedentia flumina retrò,
Nec ripis contenta suis. Iam cymba natabat,
Nec Rodericus adhuc tantas aduerterat vndas,
Nec prius aduertit, quàm se maris vnda resorpsit,
Cœperuntq. suas ostendere flumina ripas
Sed iam tunc illum Neptunia regna tenebant,
Et Zephyri magno portabant æquore lembum
Gradibus à paruis, versum Briareia saxa.
Ergo caput tollens, & tot circùm æquora cernens
Obstupuit primò, mox altè talia profert.

Fallor, an hic adsum? Si fallor, magna profectò
Iactura est mentis: sin adsum, magna decoris.
Certè ego non dudum pedibus portabar equorum,
Linquebamq; fuga fumantes puluere campos.
Quis currum in nauim, terras mutauit in æquor?
Non me somnus habet? Num mentem insania versat?
Nam quando littus pressi pede, quando carinam?
Quando ego me volui latebroso condere ponto?
Quod si sponte mea patriam, regnumq; reliqui,
Sceptro indignus eram, iure illud possidet hostis.
Quid rear vlterius? Num magni fortè gigantis
Præda fui, & Libycas mittor captiuus ad arces?
Sed neq; me vinctum, nec cinctum milite Mauro,
Sed Bion, & Cacin, charissima pectora cerno.
Sic fatus tristi compressit pectore vocem.
Forte duo comites illi, pulcherrimus alter,
Iustitiæq; tenax, atq; omnis criminis insons.
Degener ille alter, patriisq; a finibus exul,
Ingratus vultu, malus, hortatorq; malorum.
Hi quondam fratres tranquilla mente solebant
Degere concordes, donec commisit vtrunq;
Seditio infelix, olimq; domesticus error.
In partem Cacis furialia sumpserat arma:
Pro patre Bios erat, fœdumq; redarguit ausum.
Temporis illius memores crudelia secum
Seruabant odia.
Dum se se insinuant Regi, diuersaq; rerum
Consilia expediunt, & totis viribus vrgent,

Inq;

Inq; suas tentant animum traducere partes.
Tunc etiam certamen erat de puppe regenda:
Ambo gubernaculum Roderico à rege petebant.
Rex animi dubius nunc hoc, nunc ibat in illud,
In neutram certus partem, atq; incertus in ambas:
Tandem voce refert. Vobis moderamina puppis
Diuidere est animus, finemq; imponere rixis.
Iam capite alternos æquata sorte labores;
Alteriusq; alter subeat tali ordine munus.
Primus apud puppim sedeat, clauumq; ministret
Egregius Cacis totius tempore noctis:
Post noctem verò capiat moderamina Bios:
Ille gubernator lignum regat, ille magister.
Sit tamen ambobus curæ, dare vela per æquor
Longiùs, & tutas ad Iberum quærere terras.
Nam Tagus, & Bethis post tantæ vulnera cladis
Hostiles animos infido pectore seruant,
Vidi ego Viticcas, qui cornua prima regebant,
Defecisse ambos, & vos quoq; numina ab alto
Æthere vidistis. Cur ergo fulmina cessant
In capita illorum? Quin illos terra dehiscit?
De me supplicium, de me omnes sumere pœnas
Decretum est vobis, nec habet vestra ira regressum.
In me tela pluant, in me omnis fœdere rupto
Africa coniuret, seruiliaq; arma sequatur.
Vincat nudus Arabs vno non amplius anno
Europam, & prima mundi de gente triumphet.
In me Geryones, ipsa de morte resurgant,

In me nascatur par altis montibus Ontes.
Talia dum miseras iactat Rodericus in auras,
Biontis sors prima fuit:volat æquore puppis,
Aspirant auræ,dant lætos omnia cursus.
Iamq; freti fauces, gemini confinia Ponti
Venerat: hic medius Libyam,Europamq; secabat,
Et positas vtrinq; vrbes,quas pristina fama
Extulit:Herculeas vulgò dixere columnas.
Læuum Abylla iugum,dextrum tenet ardua Calpe.
Diuidit hos æquor scopulos,nec gurgite magno
Diuidit abruptis stant saxa minantia saxis
Comminus,& frontes aduersis frontibus vrgent.
Rex vultum attollens ingentem littora pontem
Vidit,& has voces imo de pectore prompsit.
Proh dolor,humanas tanta in caligine mentes
Versari! Ipse meam fabricaui hoc ponte ruinam,
Herculeam volui delirus vincere famam,
Et iam diuisas iterum coniungere terras.
Hei mihi quàm falsis persuasit vocibus Orpas!
Quos mihi promisit perfecto ponte triumphos!
Iuuentum Iuliane tuum:dum gentibus Afris
Quæris iter.
Afrorum manibus pereas,nec funus honestum
Contingat,atq; ista tuæ sint præmia fraudis,
Sis idem inuisus cælo,nunquamq; beatis
Sedibus aspires,pateat nec ianua cœli
Sacrilego, æterna manes fornace coquantur.
Talia dum memorat,Sol mersit in æquore currus,

Protinus & Cacis puppi succedit ouanti.
Omnia continuò sese in contraria vertunt,
Concurrunt venti, montes tolluntur aquarum,
Nec licet obscuro discernere sidera cœlo,
Et tandem ignari veniunt Ophiucia regna,
Infamesq; metu terras: quò nauita nullus
Vertit iter: tam triste solum, tam sæua per agros
Serpentum illuuies, & ineuitabile virus.
Manè recens orto Pelaius venit ad illos,
Et vestem agnoscens verbis compellat amicis.
Quæ vobis fortuna viri? Ventis nè coacti,
Ignari nè viæ diras venistis ad oras?
Insula deserta est, ego sum pars altera gentis,
Altera vir senior, qui degit monte sub illo:
Cætera sunt angues, & pestis sæua draconum,
Obscurusq; Hydris grauiter spirantibus aër.
Quarè agite, ò iuuenes, aliorsum vertite cursus,
Meq; etiam terris vobiscum auferte nefandis.
Auxilium imploro vestrũ, vestra arma per vndas.
Quid statis? Nec enim magnum, nec inutile vobis
Pondus ero: fortè hanc animam seruasse iuuabit.
Est mihi nanq; parens argenti diues & auri,
Multa dabit vobis pro nato dona recepto.
Talibus auditis Bios sic talia reddit.
Quisquis es, ò iuuenis, noli nos credere nautas,
Nec sponte errantes: subitus nos terror ad vndas
Impulit, impulsi per cærula lata vagamur.
Huc primùm aduecti serpentum audiuimus ora:

Sed quoq; ad iratas pelagi respeximus vndas.
Inter vtrunq; metum malo me credere, dixi,
Anguibus incertis, quam certo occumbere ponto.
Audisti nostros iuuenis pulcherrime casus.
Tu nunc ede tuos. Cur hac tellure moraris?
Cur tibi non obsunt, quæ pestes omnibus obsunt?
Et qûi te pascat sine fruge, sine arbore tellus?
Talibus auditis Pelaius talia reddit.
Cantaber est sanguis, Pelaius nomine dicor,
Filius & magni Fauillæ glorior esse.
Tres fluxere anni, postquam diuinus Isidros
Nèscio quid metuens patria me traxit ab aula,
Virtutemq; mihi diuino afflauit ab ore,
Osq; meum fecit serpentibus esse tremendum.
Ipse oculis captus, nam magna ætate grauatur,
Vitam immortalem, mortali in corpore degit,
Et terrenus adhuc fruitur cælestibus oris.
Sæpe aras inter, sacrorumq; orgia visus
Tollere se terra, & summas pendere per auras.
Stat spelunca domus dat palma altissima victum,
Antè quidem sterilis, sed postquā hic constitit heros,
Maturos omni largitur tempore fructus,
Et dat tangendos curuato vertice ramos.

Desunt multa.

Ergo ad speluncam festinis passibus ambo
Contendunt, dant monstra locum pestesq; recedunt.
Ventum erat ad sedes, & subterranea sancti

Tecta

Tecta viri, dirum non ingredientibus antrum,
Ingressis aliter visum. Nam desuper ingens
Pendebat lampas nullo circundata filo,
Et sine materia multos accensa per annos.
Multaq; lustrabant oculis miracula rerum
Marmore de viuo.
Nudus homo primùm florenti stabat in horto
Sopito similis, cuius de parte sinistra
Fœmina prodierat torto vicina draconi.
Non procul hic stabat cælesti missus ab arce
Nuntius, & virgo prægnans, atq; integra mater:
Bis genitum iuxtà puerum præsepe tenebat,
Quem sine matre pater, mater sine patre crearat.
Patre alia ossato surgebat vertice cliuus,
Trabsq; super, fixumq; trabi cæleste cadauer.
Iamq; refulgebat lux tertia: tresq; puellæ
Nominis eiusdem quærebant manè sepulchrum,
Vnde vir exierat iam non mortalis, vt antè.
Vltima pars operis nigri descensus Auerni,
Et fracti postes, & ducti ad sidera Patres.
Talia dum spectat Rodericus lumine fixo
Interiore antro venientem vidit Isidrum;
Vidit, & obstupuit. Nam iam siccauerat artus
Longa fames, nec vestis erat, quæ pelleret imbres.
Tum lachrymis nullus fuerat modus, ægra dolebant
Lumina, perq; genas aluum sibi fecerat humor:
At genua in callos orandi verterat vsus,
Vltricisq; manus monstrabat vulnera pectus:

Nudi ad ſaxa pedes, dolor vndiq;, & vndiq; ſanguis.
Talis erat ſenior: talem Theufredius heros
Affatur. Deus, ille Deus qui viuit in iſto
Corpore, vir cæli, tibi iuſta & debita reddat
Præmia, quì talem tali te tempore præbes.
Ex quo me patrijs ſors impia depulit oris,
Nil opis expertus, nemo ſolatus egentem.
Sum genere Hiſpanus, quam gentem fata fatigant
Caſibus horrendis, & magna mole laborum.
Et niſi cæleſtes illis mortalibus adſint
Auxilio, ſanctæ vertentur funditus aræ.
Te decet hanc tantam miſeris auertere cladem
Orando: gemina nam te Deus audiet aure.
Talibus auditis Iſidros talia reddit.
Magna quidem narras, fili chariſſime, màgna:
Sed ſperata mihi: nec quas nunc exigis hoſpes,
Ordiar ore preces: iam dudum hæc cura fatigat
Hos artus.
Rex quia Theufrides quondam ſua crimina flere
Noluit, ipſè fleo: patior, quod oportuit illum
Sponte pati. O demens, qui ſurdas præbuit aures
Ad cæli voces, & miſſa oracula Diuûm.
Quas cæli voces, quæ Diuùm oracula narras,
O diuine ſenex? Nobis, precor, omnia pande.
Sunt geminæ ante Deum dextra, læuaq; ſorores,
Inſignes ambæ, quarum Clementia maior
Res hominum ſemper fouet, & miſeratur inermis,
Conciliatq; patri ſontes. At læua virago.

Iuſti-

Iustitiam apellant, stricto implacabilis ense
Cuncta indignatur, Patremq; imflammat in iras.
Hanc clamore suo Iuliani filia mouit,
Mouit & illa Deum: Deus indignatus & ardens
Hesperios respexit agros, oculosq; retorsit
Incertus, Regemnè ipsum damnaret an vrbes,
Aut vtrosq; simul: tandem damnauit vtrosque.
Terq; manus frustrà melior germana tetendit:
Quod potuit Regem venturæ cladis, & iræ
Admonitum voluit, meq: alta ad mœnia misit
Tartesi. Nam tunc illum Tartessus habebat
Manè viam facturus eram, tamen vnda vetabat.
Contemno pelagus, sicco pede cærula trano,
Iamq; propinquabam terræ, littusq; tenebam,
Quò mihi cursus erat: celsa Rodericus ab arce
Insolitum miratus iter, miratus & vndam
Calcatam pedibus, firmum ad vestigia pontum,
Occurrit, nostris vt figeret oscula plantis;
Nec longum in medio tempus, cum verba seorsum
Ad Regem facio, & dictis præcordia tento.
Vilis eram visu, vox autem plena doloris,
Terrorisq; fuit: Deus os, linguamq; mouebat.
Vidi turbatos subita formidine vultus,
Erectasq; comas, hirtosq; à fronte capillos.
Talia dum memorat lachrymansq;, gemensq; sacerdos,
Rex illum obtutu tacito notat, oraq;, & artus
In mentem reuocat: tunc vocem, & verba loquentis

Agnoscit, veteri respondent omnia formæ.
Ergo improuisus sermonem abrumpit, & alto
Cum gemitu tantos prorumpit pectore questus.
O, precor illa dies, quæ nobis prima refulsit
Æternum pereat, nec posthac mentio fiat
Illius: non mensis eam non computet annus.
Illam non vltra curet Deus, occupet illam
Caligo Inferni, & formido mortis obumbret:
Sit quasi non esset. Nam cur mihi præbuit auras,
Vitales auras? Nam si ipso in limine vita
Rapta foret, nullo læsissem crimine cœlum.
Nunc late Hispanas sæuit mea culpa per vrbes,
Sparsaq; per populos mihi debita vulnera cerno.
En genitor perfecta tibi promissa Deorum.
Vtq; magis credas, verus tibi nuntius adsum
Ipse meæ cladis: Rodericum cernis, & audis.
Quod simul audiuit, confestim Cantaber heros
Ante pedes Regis voluit procumbere supplex.
Ille tamen prohibens, non tali, dixit, honore.
Tempus eget: vade ad Muzam, atq; hæc nuntia perfer.
Gentibus Hesperijs parcat, nec destruat vrbes
(Sic Superi voluere) suas, non ipse repugno
Amplius, hic victus regnum, sceptrumq; relinquo.
Sic volo, sic iubeo: nec me tu Patria, credo,
Ignauum argueris: ter iacta est alea bello,
Confertaq; manus campo: nec tela, nec enses
Vitaui, Musæ bis septem vulnera pugnans

Accepi, victusq; semel non protinus arma
Abieci manibus, nec turpia fœdera supplex
Oraui.

Desunt aliqua,

Signa cani iubeas,& victæ parcere genti,
Nè tua corrumpas,tua sunt hæc omnia,Musa.
Nil tibi vincendum victoria tanta reliquit.
Iam,credo,portas aperit longinqua Toletum,
Et procul audita succumbit Tarraco clade,
Crede mihi,Princeps,non vltrà viribus vllis
Est opus,aut armis:actum est, quod restat agendum.
Nam sæpe in bello vincit sine vulnere fama,
Pluraque quam virtus expugnat mœnia terror.

Desunt aliqua.

Sic placuit Christo,fiat tua,Christe,voluntas.
Ad nomen Christi caput inclinauit Isidrus,
Taliaque ore refert.Nos cernat,& audiat ille,
Omnia qui cernit,quique omnia protinus audit,
Nec plura effatus,ceu mortuus hæsit ibidem.
Nec color in vultu est,nec respiramen in ore.
Omnia iam deerant vitæ argumenta manentis.
Cum redit ad sese viuus,tum talia fatur.
Vt faber excelsò deiectam vertice cedrum
Immiti populat ferro,& per vulnera multa
Effingit Diuos
Vt sacro statuat templo,populisque colantur,
Sic alti manus artificis te culmine summo
Deijcit,exercetque malis,vt numinis instar,
Euadas.

Ne

Ne dubita nam vera adis:sic nuper ab ore
Accepi volucris pueri,& pendentis in aura.
Ipse tibi monstrabo viam,tu credulus audi.
Rex Asia in magna Babylonis sceptra tenebat.
Conscius hic magni sceleris sibi,cessit ab aula
Heu,quasi mentis inops,syluis stabulabat in altis
Bruta inter recubans,cum brutis pabula carpens,
Repebatque solo quadrupes,nec dira sonabat
Vox hominem,monstrum pueri, matresq; tremebāt.
Rex etiam Hebræus Solyma frænabat ab vrbe
Eufratem , & Nilum:fueratque asperrimus antè
Monstrorum domitor,debellatorq; Gigantum.

Desunt aliqua.

Hos sequere,& prudens illorum tertius esto,
Vt pro terrenis capias cœlestia regna.
At tu,magne puer,ne Regis iussa facessas,
Sed potiùs molire animo Mauortia bella
In Muzam,Hispanas cum primum adueneris oras.
Sponte sua te cymba vehet,perque amnis Iberi
Ostia,perque ipsas aduersi fluminis vndas.
Ad fontem venies,vbi te iam fortia corda
Expectant,pauci numero,sed certa iuuentus
Antè mori,quam ferre iugum Garamantis,& Afri.
Has cape relliquias,& regna iacentia tolle
Gentis ter victæ,nec magnum horresce Califam.
Sat,scio,deficies animo,cùm videris Ontem:
Tantam abit in molem,tantusque in nubila surgit.
Sed tibi cœlestes aderunt,vltorque Iacobus

Se tibi

Se tibi monstrabit,
Albo armatus equo, atque albis circundatus armis,
Ille ruet, latumq; super sternetur Iberum:
Altera ripa pedes, caput altera ripa tenebit.
Vade, age, & ingentes sanctorum vlciscere clades.
Rex etiam tali Pelaium voce monebat.
Quandoquidem superi tibi tanta negotia credunt,
O iuuenis, mihi præbe aures, non vana mouebo.

Multa desunt.

Pelaius quoque digrediens affatur obortis
Teufriden lachrymis: quamuis deiectus, & exul
Sis alijs: mihi semper eris, dum vita manebit,
Clarum Europæ gentis caput. Hæc ita fatum
Aura capit cœli, atque oculis spectantibus aufert.
Dumq; viam peragunt, de bello plurima Cacis,
Multaq; de turri referebat ordine tali.
Arx erat, Hesperij dixerunt Herculis arcem,
Prodigijs horrenda suis. Nam fama canebat
Tres animas illic triplicis Geryonis esse,
Audirique intus bellum, foribusq; teneri
Armatos hostes, & viui sanguinis amnes.
Auxerat hanc famam descriptum in limine carmen,
Viuite felices, dum turris clausa manebit:
Si quis eam reseret, Tubalia regna peribunt.
Ergo omnes Reges sedemq; locumque tremebant,
Horrebantque sacrum pedibus contingere limen:
Atque alijs morem accepere, metuq;
Seruauere sacrum, cùm primum sceptra dabantur

Proit-

Protinus à templo fatalem inuisêre turrim,
Addereque æratis claustra immortalia portis
Primus Teufrides ausus, siue ira Deorum,
Seu fortuna fuit, diram contemnere sortem.
Vix ingressus erat, tremuerunt omnia circùm
Fundamenta domus, gemitumq; dedere columnæ,
Vox quoq; terribilis tecto exaudita profundo.
Tolle oculos Roderice tuos, attollimus omnes:
Protinus & pugnas ex omni parte videmus,
Cælatas auro pugnas, Bethimque, Tagumq;
Epotos Afris, Arabumq; insignia Lunas,
Et Lunis passim nostros dare terga Leones.
Præterea videt ex alto se culmine Cauam
Præcipitantem vltrò, & pandentem brachia letho,
Dispersasq; comas, chlamydemq;, sinusq; volantes.
Se quoq; deiectum curru, terraque iacentem
Agnouit.
Non tulit vlteriùs picturam ferre minacem
Spectando, properata refert vestigia retrò,
Et se prodigijs tantis auertit, & aufert.

Desunt multa vsque ad finem libri primi, & totius secundi.

Quæ sequuntur ad tertium pertinebant.

Post acies fractas Hispanæ gentis, & Afros
Iam dominos rerum, primos Cantabria motus
Terra dedit, rebusque nouis non defuit Astur.

Addunt

Addunt se socios alij, quos fama trahebat
Partibus ex alijs, coit innumerabile vulgus,
Dux aberat tantum, qui tantum duceret agmen,
Nec quisquam audebat tantam vltrò sumere curam.
Ingentes inter montes, æquataq; cœlo
Culmina, mons ingens, sed circunstantibus impar
Erigitur medius, quem valles vndique cingunt.
Huius in excelso consurgit vertice templum,
Templum augustum, ingens, enixæ Virginis ædes,
Quam circùm annosæ quercus, abruptaque saxa,
Et densi silices, nodosaque robora cingunt.

Desunt nonnulla.

Interea sacri, quo nullum maius in orbe,
Hora propinquabat, dant æra sonantia signum.
Continuò incedunt pueri penetralibus, altos
Expediunt lychnos, fundunt fastigia flammas.
Tum duo Leuitæ sacrata in veste sequuntur,
Tertius antistes ibat, mediusque duorum,
Vt genibus pressere gradus, altare salutant
Vnà omnes, primusque alto sermone sacerdos
Se vocat ore reum, & sanctas testatur ad aras
Se parte insontem nulla, & genus omne malorum
Per cunctos patrasse dies: sic talia fasso
Indulgent comites veniam, & placabile numen
Illi optant, fassique eadem
A capite ad pectus dextram ducebat, & ambos
Hinc atque inde humeros dextra tangebat eadem.
Pontifici astabant multi de more ministri:

Sed

Sed duo præcipue, quorum alter mira canebat
De naui in Tarsum de tempestate coorta.
De barathro piscis iam restituente Prophetam.
Alter adimplebat veteris promissa figuræ,
Et verum Ionam reuocabat mortis ab aluo.
Finierant illi miracula tanta referre:
Credo, ait antistes. Credo omnes ore sequuntur:
Intonuere chori, & magno discrimine vocum
Argutum pars magna sonat, pars magna profundũ.

Desunt nonnulla.

Finierat, deinde incumbens altaria supra,
Affatusque Deum, ter sanctum nomine clamans
Mente peragrabat cælos, arisque manebat
Sopito similis, tum lumina tollit in auras.
Mox manibus puris sumens holocausta futura
Extulit os cælo, dixitque potentia verba.
Ad vocem Deus, ecce Deus (mirabile dictu)
Protinus alba Ceres viuos mutatur in artus,
Protinus in sacrum vertuntur vina cruorem.
Alter erat panis, sed mansit forma prioris,
Idem mansit odor, retinetque albedo colorem.
Horruit admirans cælestia dona sacerdos,
Ostenditque Deum populo.
Fit sonitus circùm, cæduntur pectora pugnis,
Nec lachrymæ desunt, penetrant suspiria cælum.

Desunt nonnulla.

Rex cæli omnipotens, quem nostrum dicere Patrem
Terrigenæ audemus: sanctum per secula nomen

Sit tibi,nosque tuo,dum viuimus,accipe regno,
Accipe post functas terreni luminis auras.
Vtque tibi cælum,& cæli gens aurea paret,
Sic etiam totus terrarum pareat orbis.
Et quem quotidie dignaris tradere panem
Da nobis hodie,cœlique viatica præbe:
Totum pasce hominem,parte vt viuamus vtraque
Quis tibi non debet mortali in corpore pœnas?
At tu parce illis,qui debita sumere nolunt
Supplicia ex alijs,sumentibus illa reserua,
Nec sine de nostra fieri virtute periculum.
Talia commemorans stetit incuruatus ad aram,
Cælestemque dapem,& diuini sanguinis haustus
Ore pio sumit,tum dictis talibus infit.
Ite viri in pugnam,missa est gratissima cœlo
Hostia pro vobis
Mille sacerdotes illi responsa remittunt,
Atque vnum multis resonat de vocibus:amen

Multa desunt.

Interea cœlo Diuus descendit ab alto
Pauperis os,habitumque gerens,& pauperis arma
Errantis peregrè,longinquaque templa petentis.
Nigras Sole genas,incanam puluere barbam
Fecerat,& summo dederat gestare galero
Effigies de more sacras,vultusque Deorum.
Scortea quin etiam ventos arcebat,& imbres:
Armabat breuis hasta manum,gressusque leuabat.

DE

DE GENESI PHILIPPI SECVNDI HISPANIARVM REgis secundum Astronomiæ disciplinam.

FRAGMENTVM.



NON



ON est astrorum satis explorata facultas:
Nec mihi contingit doctrinæ magna supellex.
Vnde aliquid falsi dicam:sed plura Mathesim
Veracem ostendent. Persas,Indosq; relinquo,
Te Ptolomæe sequor,tu veri maximus autor.
Signa ergò obserua:signorum nanq; potestas
Magnas Planetis vires largitur,& aufert.
Libra domus Veneris cùm primo in cardine surgat,
Et Venus irroret felici lumine Libram,
Cumq;sit in verno Saturnus vellere,& idem
Disponat Lunam,primoq; orientet Eoo:
Iuppiter ipse etiam cum triplicitate gemella
Gaudeat atque habeat fines in cuspide prima:
Nati temperies calida est, atq; humida,necnon
Optima, sanguineam vulgò appellare solemus.
Hsc etiam fortes Saturnus, Solq; videntur:
Plus quàm Luna,Venus:peregrina est altera prorsùs,
Altera non prorsus,verùm tardissima currit,
Luceq; deficiens inferno cardine cæli.
Vnde hoc colligimus: mater currentibus annis
Ante partem moritur.
Tertia dat fratres nascenti, datq; sorores
Matre vna genitas:quia tempore læta diurno
Tyndaridas nitidis Cytherea amplectitur vlnis.
Nascenti puerò cùm sese inclinet Orizon

Liber ab infaustis,& surgat Libra per ortum.
Cùm Venus huic parti iocundo arrideat ore,
Nec Iouis & Lunæ geminata triangula desint,
Cùmq; locum Lunæ disponat falcifer Heros,
Atque orientali fortunet sidere cœlum,
Corpus erit modicum, membrorum grata venustas,
Plena cutis succo,flauus color, aurea barba,
Magnus honos oculis, ad finem calua senectus.
Cùm Sol ipse pater,nec non argentea Luna,
Nec non alma Venus per masculæ signa ferantur.
Vis ea naturæ, quæ nos impellit ad illam
Cæca voluptatem,mortales vnde creantur,
Forsan erit vehemens,magnosque in pectore motus,
Affectusque dabit magnos.
Cum sint cōcordes (nulla est concordia maior)
Luna & Mercurius concordes lumine trino:
Et quoque Saturni concordent , & Iouis astra,
Qui loca disponunt illorum ritè Deorum:
Corriget imperio facili regina voluntas
Plebeias animæ partes. Vnde illa sequetur
Virtus humana maior, spectataque mundo,
Qualis Eoa Venus,vel cœli discolor arcus.
Mercurium, Lunamque vide: per mobile signum
Mercurius fertur,per fixum Luna vagatur.
Has propter causas hic natus diliget vrbes,
Publica tractabit per totam munera vitam,
Diuinis aderit,Diuisq; altaria ponet.
Vnde sibi laudem summo affectabit amore,

Singula disponet maturè: in quemq; nocentem
Scitè animaduertet iustus super omnia iudex,
Et iustis gaudens, illisque tenaciter hærens.
Non lamenta illum, non illum damna mouebunt,
Et quamuis cupiet veniam indulgere, negabit,
Ipse sibi lachrymas immoto pectore fundet.
Tantus amor iusti. Quis talia credere possit?
Dotibus his tantis accedet mentis acumen
Omnibus in rebus: tum magna peritia cœli.
Magna dabit largus.
Aduersæ sortis patiens, cupidusque laboris.
Inque fatigatus semper, domitorque suarum
Sæpe voluptatum, frænator maximus iræ,
Consiliiq; boni magnus monstrator & autor,
Arrectamque feret ceruicem semper in hostes,
Obque leues causas nunquam huc se vertet, & illuc,
Defensorque senum fiet, rerumque sacrarum
Publicus assertor, propugnatorque piorum.
Firmius hærebit fidei, quàm fluctibus humor.
Tum causa legis bellum geret, & quoq; propter
Rem patriam, antiquosq; lares certamina surgent,
Amittet partem, rursumque amissa reponet
Non semel, amittetq; iterum: variaq; frequenter
Fortuna vtetur, sed vincet sæpius hostem.
Pacis erit cupidus, nec bellum læsus amabit:
Fanda, infanda feret, dum pugnas vitet, & arma:
Armatus verò geret implacabile bellum.
Nec deërit cordi vindictæ dira cupido,

Sed iusta ad iuris normam, legisque rigorem.
Oderit ille malos, odium sed pectore condet,
Diliget ille bonos, sed pectore condet amorem.
Nil in fronte geret: lætis & tristibus idem
Vultus erit semper, soli sibi pectus apertum,
Os verè arridens, atque oris seria verba.
Cor video immodicè cupidum, duo pectora pestes
Tentabunt, hinc ira frequens, hinc blanda voluptas.
Talia contingent, quia robustissimus ægram
Mercurius vincit Lunam discrimine magno,
Et quia concordes sibi bina triangula mittunt,
Parteque dimidia iam tangitur orbis ab orbe.
Talia colligimus, quia Luna est saucia Marte,
Per Martis fines, geminatosq; excipit æstus.
Sol quoq; flammigero te vexat Luna quadrato,
Tardaq; decrescis. Sed pensant talia damna
Saturni aspectus felix, noctisque secunda
Conditio, & quintæ bonitas: quibus adde fauorem
Et Iouis & Veneris, qui bina triangula mittunt,
Atque etiam læti facies succurrit Aquari.
Siqua anima in terris subtili est prædita mente,
Atque intellectu pollens, hæc esse videtur
. . . . . Nihilominus abdita longè
Inuestigabit, longèque occulta requiret
Secretis cooperta locis, de more Magorum,
Qui sibi thesauros quærunt secreta per antra
Manibus infernis moniti, fodiuntq; cauernas.
Hic quoque difficiles mentem conuerteret in artes,

Conci-

Concipietq;animo varia instrumenta scientum,
Immanesq; operum fabricas,mirabile visu.
Hic erit Astrologus natura,aut fiet haruspex,
Aut declarabit somnos interprete lingua,
Aut aliquid simile his,aut omnia iuncta tenebit.
Mente laborabit semper,sed corpore nunquam
Sponte sua,lassos extemplo sentiet artus.
Neuè morer nimiùm,concedent sidera nato
Diuinas artes,& in omnibus esse peritum.
Cedite pictores,hic Regis vera Philippi
Cernitur effigies,quam nullus vincet Apelles.
Exprimet ille artus, hæc totum reddit imago,
Durabitq; magis,quàm vestri fortè colores.
Sed video atrocem nimis,heu, sæuire podagram,
Cedereq; extremas in toto corpore partes,
Et tentare caput,nisi vis diuina resistat,
Aut tenuis ratio victus, sed scindere venam
Proderit interdum: siquidem calidissima Martis
Stella præest venis,& tanti est causa doloris.
Necnon & gelidus Saturni defluet humor
A capite,& cumulum tam læsis partibus addet.
Cùm pars fortunæ,quæ sola atque vnica ditat,
Libera ab infaustis.diroq; Hyperionis igne,
Inq; Iouis solio,triplici sit nomine fœlix:
Et Lunam è Geminis fortunet Iuppiter idem
Aspectu trino.
Hæc vna ante alias dat constellatio census,
Oppida,diuitias pro re,pro sorte parentis

Et tamen infelix,& felix Iuppiter idem.
Ergo audi,lector,quod dictis talibus addo.
Tantos prouentus,& vectigalia tanta
Expensæ vincent:non illi opulentia deêrit
Per totam vitam,non illi deêrit egestas.
Aut aliàs locuples,aliàs pauperrimus ibit,
Et quasi mendicus cogetur quærere victum.
Nec tibi principium damni,causamq; silebo:
Mars destructor opum, quo nullum est sæuius astrũ,
Vulnerat hîc miseram quadrata cuspide Lunam,
Lunaq; conceptum quadrato marte venenum
Proijcit in Geminos,Sortemq;Iouemq;trucidat.
Quattuor vxores promittunt quattuor astra,
Ad quæ Luna meat,cùm transit sidus aquosum.
Sæpe igitur viduum miserando funere lectum
Sentiet atratus: quia Marti septima paret,
Saturnumq; tenet: quia Luna,Venusq; laborant
Nominibus multis,nec opis sat Iuppiter affert
Debilis,atque cadens decima peregrinus ab aula.

Desunt multa.

IACO-



IACOBI FAL-CONIS VA-LENTINI.

IN LIBRVM DE ARTE Poetica Horatij Flacci scholia perutilia.



RTEM Poëticam explicaturus operæ pretium faciam, si altius rem deducens Horatij hoc loco breuitatem resarciam. Poësis ergò vera in opere Epico perfecte constituendo tantùm versatur. Quiq; hoc componere potest dignè Poëtæ nomen assumit: aliter cum fraude vsurpat, vt infrà ex Horatij verbis patebit. Opus autem omne Epicum, sub quo communi nomine narratiuum (vt Aristoteles appellat) seu Heroicum, Tragicumq. & Comicum intelligimus, in actiones duas diuiditur, primariã

ſcilicet & ſecundariam. Primaria continet argumentum totius operis, & diſpoſitionẽ. Secundaria componitur ex epiſodijs. Porrò epiſodia diuiduntur in epiſodia interna, & externa. Interna ſunt quæcunque ad primariam referuntur actionem: externa, quæ foris attrahuntur. Rurſus interna conſtant ex adiunctis præcedentibus actionem, & ex ſubſequentibus. Vltimò epiſodium nihil aliud eſt, quàm Poëmatis neceſſarium, & iocundum ornamentum. Hæc ita ſimpliciter dicta quorſum tendant, paulatim ex ſequentibus diſces.

Humano capiti.

Nulli dubium eſt Horatium grauiſsimi, ideſt epici Poëmatis leges & artem deſcribere. Tale autem Poëma corpus naturale ſignificare ſuis omnibus numeris abſolutũ autor eſt ſapiẽtiſsimus Plato. Iure ergo noſter Horatius de eius primaria actione, ideſt, contextura iu primis loquuturus docet, ne materia, quæ ad id componendum erit ſumenda, multiplex ſit, aut varia. Nam ſi ex diuerſis, ſibiq. diſsidentibus argumentis opus texitur, contingit, vt *deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.* Hoc eſt vt Poëma quod, exempli gratia, ab Herculis laboribus prin-

cipium

cipium duxit, in nauigatione Vlysſis finem faciet, quod à naturali corpore iam diſcedés monſtrum efficit abſurdiſsimũ, ideoque huc etiam refertur id quod paulo infrà monet: *Deniq́; ſit quoduis ſimplex duntaxat & vnum.*

Pictoribus atq. Poëtis.

Occurrit obiectioni, quæ fieri poteſt notiſsima, admonens licere quidem Poëtæ ad libitum adiungere, & commiſcere quicquid velit primariæ actioni. Sed quoniam pictor imitator eſt corporum: Poëta verò animi actionum, quemadmodum pictor à natura corporum nullo modo aberrabit, ex duabus diuerſis ſpeciebus corpora conflans: ſic etiam Poëtam nequaquam ex contrarijs actionibus opus poſſe vnicum cõſtruere affirmat. Huic enim duo capita & totidem fines neceſſariò dabuntur. Quamobrem addit. *Nõ vt ſerpentes auibus geminentur, &c.*

Inceptis grauibus.

Poſtquam de primaria actione, quam operis totius contexturam intelligimus, generatim egit, continuò ad ſecundariam tranſit, hoc eſt, ad Poëmatis ornamentum, ſeu ad epiſodia, quod idem eſt. In huius partis gratiã tria præcipit. In primis vt quemadmodum

Poëta in primaria actione amare debet simplicitatem: ita in secundaria varietatem curet, idest, episodiorum inter se. Quò illud tēdit: *Purpureus latè qui &c.* Deinde vt pro tempore, loco, & materia episodijs vtatur: quod ibi subintelligitur. *Et fortasse cupressum scis simulare, &c.* Vltimò caueat, ne longior sit in orādo. Nam efficiet, vt amphora fingi cœpta exeat diuersum aliud vas. Hoc est, exempli gratia, vt opus de nuptijs Thesei desinat in raptu Ariadnæ, qui per ornatum à Poëta sit adiunctus inter epulandum, & loquendum veluti episodium. Id præcipuè monet, ita miscenda esse episodia, vt semper cum eodē Poëmate veluti naturalia membra cohæreāt simplicia, & vniformia: vt ex epilogo patet. *Deniq; sit quoduis simplex duntaxat, &c.* Poëmata quę tali vitio laborarunt non extant, & ideò tali vtimur exemplo. Extant verò quæ mirificè superiora documenta obseruarūt: Homerica scilicet, inter Græcos: Vergiliana apud Latinos: quæ sibi quisq., tanquam perfectissima exemplaria ad imitandum proponat.

Plerunque.

De episodijs agentem oportuit hoc adiūgere ad discrimē narrantis, & Tragici Poetæ.

Nam

Nam manifestum est Tragicum nunquam in his ita immorari, vt solet Heroicus, seu narrans, cui superius præceptum solum inseruit,

Maxima pars hominum.

Ad operis conscriptionem iam descendés docet vitãda esse extrema quędã, quę scribétẽ recti specie deceptũ in ingentes errores impellunt, præsertim artis Poëticæ ignarũ; vt si quis conetur nimiã breuitaté sectari, nõ in tenebras solũ, incidet, in quem sensum locus hic in prouerbiũ abijt: sed fiet, vt mea est opinio, obscurus & vilis Poëta. Nihil enim vilius reddit Poëma, quàm breuis narratio non floribus, non varietate exornata. Qui verò velit aliquid singulariter ac superfluè amplificare, à verisimili discedet: quod vitium non minus intolerabile est apud Poëtas.

Prodigialiter.

Aduerbium hoc verè est *prodigialiter*, adiũcta .i. inter .g. & a. ratione carminis. Quod mirificè cum sensu rei cõuenit. Nemo enim est, qui ita decipiatur, vt cum prodigio rem velit describere: quod apertum est vitium: at cum prodigalitate aliquando, idest, cum nimia rerum affluentia.

Æmi-

Æmilium circà.

Exemplo fabri plures inueniri Poëtas cõfirmat, qui vnamquamq. partem operis bene componant: verùm qui iam perfectas partes ad vnum opus reducant, per paucos esse: quod minus damnandum est, quàm si præcipua corporis pars alioqui bene compositi fœdissima cuiquam extet. Vnde colligimus primam Poëmatis partem, vniuersalem esse ipsius constructionem.

Sumite materiam.

Cùm Poëta à principio non nisi de graui, atq. epico opere loquatur, diuersus his carminibus adhibendus est sensus, ab eo quem præse ferre videntur. Aduertendum est ergo operis epici difficultatem non in materiæ diuersitate consistere, sed in ipso Poëta, vt idẽ inferiùs confirmat: *Scribendi recte sapere est principium & fons.* Nec pro materia posse Poëtã mediocrẽ facundè, ac disertè scribere, quod in ardua minimè consequeretur. Quam obrẽ cum Horatio sic aio. Quicunq. graue, quale proposui poema edere vultis, *sumite vires vestras*, idest corroborate, *æquæ materiæ*, idest pari propositæ à nobis: & perpendite, verũ tales vobis adhæreant. Affirmo enim eum,

qui

qui *potenter*, ideſt, corroboratus multarum rerum cognitione ad Poëſim acceſſerit, non ſine facundia, & ordine, & cæteris partibus, quæ ſub his intelliguntur, dicturum. Nemini dubium faciat verborum mutatio, qua in hac expoſitione vtimur dicentes: *Sumite vires æquæ materiæ.* Eſt enim hæc verborum inuerſio receptiſsimus inter Poëtas, & pulcherrimus dicendi modus, vt videre eſt apud Virgilium, & cæteros Poëtas.

Ordinis hæc.

Quia ſuperius meminit ordinis, ad eum nunc accedit: ad cuius Venerem, ſeu venuſtatem opus eſt, vt Naturæ relicto, prudentiæ ordine procedamus multa poſteriora prioribus anteponẽtes, ita, vt non aliud, ſed aliud ex alio deducatur: vt multis in locis apud Virgilium videre eſt.

Hoc amet, hoc.

Hic etiam vtiliſsimi præcepti meminit in promiſſo carmine, hoc eſt, in opere propoſito epico, vt Poëta adhæreat ſemper grauibus, & admirationem magnam, atq. ſplendorem Poëmati afferentibus, contemptis multis nonità nitentibus, quæ hiſtoricus ſine dubio narraret.

In

In verbis etiam.

Ornatiſsima inter omnes figuras habita eſt ſemper tranſlatio in Poëſi, qua (vt Quintilianus ait) nemo præter antiquos Poëtas eleganter vſus eſt. Quam ob rem Horatius de facundia aliquid dicturus, quam cum ordine ad bene ſcribendum aſsignauit, hanc figuram in primis laudat, ſi cum *tenuitate*, ideſt, ſubtilitate, & elegantia miſceatur: ita vt notum cunctis, & vſitatum verbum per tranſlationem nouæ ſignificationi adaptatum, nouum etiam videatur: vt exempli gratia, receptiſsimum illud nomen, comæ, pro capillis ac folijs arborum. Nec ſunt audiendi, qui hoc præceptum ad verba noua, & nouata referre volunt, cum rarò noſtri Poëtæ illorum vſum admittant: metaphoris verò plerumq; & libentiſsimè vtantur.

Si forte neceſſe eſt.

Quoniam in tantas anguſtias aliquando adducimur, vt nec metaphoris, nec vſitato ſermone poſsimus rem abſconditam comprehendere, nouata nomina, & Cethegorum ætate antiquiora neceſſariò vſurpanda eſſe ait, ſed rarò, ac veluti cum pudore. Porrò noua & nuper excogitata dignitatem habere

oſtendit,

ostendit, dummodò à Græcis deriuentur, *parcè detorta*, hoc est, à Græcis parum declinantia, & quæ fontem suum semper redoleant: quemadmodum sunt ea, quæ inter Poëtas videmus receptissima, Inarimen, Penelopen, Heroa, & alia quàm plurima, quæ statim Græcam originem indicant.

Res gestæ.

Vt ostendat cui carminum generi res grauissimæ mandari debeant, quales sunt, quæ narratiuo Poëmate includuntur: in medium adducit præcipua carminum genera. Exametrum laudat, exametroq; solum res sublimes indigere docet, nec aliud penitus admittere posse. Ratio est, quia nimis insurgit hic versus, & omnium aliorum capacissimus est, cùm quatuor eius pedes ad libitum semper commutentur, & quinq; aliquādo: præterea spondæi ac dactyli, quibus constat, facillimè inueniantur: quæ omnia ditant, & splendidius reddunt carmen heroicum, siue exametrum.

Archilocum proprio.

Carminum genera annumerans, postquam narratiuo Poëmati suum dedit, nunc Tragico, & comico attribuit (de his enim tribus tantum, vt suprà meminimus, præcipit.)

Iambi-

Iambicum ergo his largitur, quod inter omnia histrionarijs actionibus est aptissimum: vtque hoc vnum ambobus commune est: ita in cæteris apud Tragicos, & Comicos Poëtas extollitur, vt decet, ac deprimitur. Nam Comicis octonarium est, octo scilicet pedibus constans, cum tanta commutandi facultate, vt oratio soluta videatur. Tragicis senarium, quod olim ex puris Iambis constabat, nunc diuersi generis pedes admiscet: multò tamen grauius Tragici hac licentia vtuntur, quam Comici. Itaq. pes Iambus hoc vno à Tragœdis & Comœdis receptus est: quia omnium frequentissimè nobis loquentibus occurrit: at cum hi & illi imitatores sint communis & quotidiani sermonis nullus aptior potuit inueniri pes. Quod Tullius multis locis affirmat.

Descriptas seruare.

Plato in dialogo nono Reipublicæ, Poësis, inquit, est imitatio quædam: cui diffinitioni, quoniam multa obijci possunt, si suo defensore careat, pauca adiungamus. Poësis est imitatio actionum per vniuersalem id eam metrica facultate contenta. Qua diffinitione ex eodem Platone sumpta, & Aristotele occurritur obiectionibus primæ. Quãuis enim

pictor,

pictor, mimus, statuarius, dialogorum scriptor omnes imitentur, non tamen capiunt hanc secundam diffinitionem. Vnde colligimus cum Horatio neminem verè Poëtam dici posse, qui & cætera præcepta non bene teneat, & præsertim eleganti imitatione vti nesciat, quam ille operis colorem meritò vocat. Nam hæc totum poëma illustrat, & colorat, & vnamquamque partem suo loco ac colore ornatissimè distinguit. Exemplum veræ imitationis habet Virgilius tum in multis locis, tum in secundo libro Æneidos in oratione Sinonis ad Troianos. Ad perfectam imitationem conducit illud, quod Aristoteles in Poëtica his verbis affirmat. Decet autem Poëtam ex persona sua pauca dicere, quod in eo imitator non sit. Nam Poësis duobus modis consideratur: alia tacens, alia agens: tacens est, cùm Poëta ex sua persona aliquem imitatur, quæ reprobatur ab Aristotele paulò post verba superiora: agens, cùm Poëta ea quæ dicenda sunt personis accomodat: quó referuntur verba sapientissimi Aristotelis.

Non satis est.

Optimum adducit Præceptum epico Poëmati conducens, hoc est, vt adsit illi suauitas quædam, & dulcedo animum auditoris

deliniens. Hæc autem tota è ſola imitatione pendet, quæ ſi appoſitè ad vniuſcuiuſque mores, patriam, & conditionem accomodatur, nihil magis animos demulcet. Vnde Ariſtoteles in Poëtica, viuus, inquit, ſerpens grauis ac moleſtus eſt oculis, bene depictus iocundiſsimus: illic ob attrocitatem, & truculentiam, hic ob imitationem ingenioſam: quæ fit, ſi falſa veriſimilia plus amemus, & ſequamur ſcribentes, quàm vera, quæ tamen non ſint veriſimilia.

Aut famam.

Tragico & narratiuo Poëmati commune documentum proponit, maximè laborandum eſſe oſtendens in perſonarum imitatione: vt facta cuiuſuis deſcripturus nunquam declinet à fama, quæ de eiúſdem moribus extat, quemadmodum ſi Achillem tot iam encomijs ab Homero collaudatum in carmen iterum adducat: non aliter, quam Homerus eum depingat. Quod ſi aliquando nouam perſonam induxerit, caueat ne mores inter ſe diſcrepent: talemque ei ad finem vſque animum induat, qualem ab initio dederit, præſertim ſi primaria fuerit. Quod diligenter Homerus in Iliade obſeruauit in Achille, quem pugnare nolentem nec pre-

ces suorum, nec minæ Imperatoris mouerũt sed noua iracundia obtruncati, scilicet, amici arma sumere coegit. Et Virgilius in 12. Æneidos in nece Turni, cuius Æneas solita pietate commotus iam miserebatur. Vnde censeo illa carmina: *Si quid inexpertum, &c.* ad illa verba redigenda: *Aut sibi conuenientia finge Scriptor, &c.* Vt etiã illa: *Honoratum si forte, &c.* ad illud principium: *Aut famam sequere.* aduertendum est autẽ apud Tragicos electionem personarum semper fieri. Nam cum Tragœdiæ munus sit per terrorẽ & misericordiam animos spectantium mouere, si personæ, (primarias intelligo) optimæ fuerint, pluribus in eas obortis calamitatibus indignatio commouetur: si tetertimæ, eadem de causa lætitia oritur: quæ duo à Tragœdia abhorrent. Optio igitur erit mediocrium, quales sunt communes, quas si inauditis malis oppressas scimus, fortunæ humanæ contemplatione, metu similium miseriarum, misericordia illarum commoti verè dolemus.

Difficile est.

Difficile est (inquit Horatius) cõmunem aliquam personam, nemini, scilicet tractatam ad priuatam redigere, id est, nouam

formare: atque ideo melius ex notis Tragœdiæ componuntur, quã ex ijs personis, quas nec fama, nec scriptis nouimus. Talium verò Tragœdiarum omnis ad nos referetur laus, si nec priorum vestigijs incesserimus, nec eorum verbis, aut operis totius constructioni adhæserimus. Hanc operius constructionem *orbem* vocat Horatius, quoniam in connectione, & solutione versatur omnis, & altera ab altera dependet.

Nec desilies.

Documentum maximè necessarium in Poëmate narratiuo habemus obscurè explicatum ab Autore, ideòque à paucis intellectum. Paucis præmissis patebit omnibus. Propositio, quæ cuiuis operi narratiuo primis carminibus solet adhiberi, altera breuis altera longa dici potest. Breuis damnatur his verbis, Nec, ò Poëta, in tenuem & angustam propositionẽ incidas: ne fortè Poetica ratio prohibeat te latiùs diuagari breuitati propositionis astrictum. Longam etiam reijcit Horatius Cyclici cuiusdam exemplo, qui quod nemo posset adimplere proposuit. Inter has duę aliæ consistunt vsu receptæ: proximè breuis, & proximè longa: quarũ ambarũ exẽpla quamuis in Homero reperiantur, proximè breuis laudabilior est. Quod ipse

Homerus in Vlyſſæa, Virgilius in AEneide fatentur. Ambo enim proximè longa vſi id veluti vitium artificio contegunt, hiſtoriam propoſitam à medio incipientes:quam quidem ſi à principio ordirentur in infinitum traherent. At in Iliade, vbi proximè breuē propoſitionem prætulit, & quæ minori negotio potuit compleri,nil Homerus præter mittit, quod ad eam faciat. Hanc tamen tacet Horatius, quia nullo indiget artificio, & eſt naturalis,& notiſsima. Vlyſſææ verò propoſitionem ideo in exemplum adduxit, vt illā Cycliciam deteſtaretur vanam,& temerariā. Homericam laudat, eius partes annumerat, & veluti egregia documenta omnibus ad imitandum proponit, in longiore tamen fabula.

Et ſpecioſa.

Epiſodia Homerica, *miracula ſpecioſa* vocat; quo nobis inculcare nititur,non quæcunque epiſodia Poema ornare,ſed ea quæ ſpeciem magnam præ ſe ferunt,& ingentem incutiunt admirationem legentibus. Duobus etiam exemplis ex eodem Homero decerptis oſtendit,non decere Poetam tam in primaria,quā in ſecundaria actione altiùs res & à primo fonte repetere:ſed potiùs venuſtiſ-

simum esse historiam quamlibet veluti vulgatam á medio incipere, & ad finem quam primum perducere, aliaq; omnia parui facere, quæ elegantissimo splendore careant (quod etiam suprà admonuimus.) Nec enim bellum Troianum à partu Ledę orsus est, vnde principium tulit, sed ab iracundia Achilli ob raptam Briseidem suscitata. Quod exemplum ad primariam actionem referendum est. Nec cùm Diomedem in bellum Troianum adducit, antiqua eius facta narrauit, quod ad episodia, id est, ad secundariam actionem pertinet.

Atq; ita mentitur.

Aliam Homeri virtutem extollit, quæ Poëtæ narranti, seu Heroico in episodijs, Tragico in primaria actione seruari maximè debet: nec enim in alia parte locum habet. Vnde animaduertendum, Poësim in communi veriorem esse historia: in priuato sæpius mentiri. Nam in communi vniuersalem, ac naturalem ideam imitatur, quæ nunquam falli potest, & in vitium deflectit: at in priuato nullum crimen committit á veris discedens. Qua de causa quicunq; fabulam descripturus sit, vt exempli gratia, Scyllam & Cyclopes, studeat, vt cómunia fabulæ vera sint,

& cum fictis priuatis toto opere conueniāt atq; interſe conſonent. Vera porrò habebū-tur ſi fama, vel ſcriptis recepta ſint, vt Scylla, & Cyclopes, quos ita extitiſſe ſcimus: vel etiam natura quadam ſint credibilia, vt illud Virgilij in Sexto: *In foribus ſtabulant centauri*, id eſt, in primo limine Barathri. Quicquid enim monſtroſum naſcitur parum viuit. Igitur hoc paruo fundamento communis veritatis propoſito priuata plura confingi poſſunt. Huc enim referri poteſt illud Ariſtotelis, quod ſuprà meminimus. Elegantiora eſſe falſa veriſimilia, quàm vera non veriſimilia. Vtuntur etiam Poëtæ ſæpiſsimè paralogiſmis, hoc eſt, apparentibus argumentationibus, & narrationibus, vt Ariſtoteles in Poëtica confirmat: & Homerus exemplo comprobat, cùm Polyphemum ab Vlyſſe oculo confoſſum deſcribit.

Tu quid ego.

Confirmat id quod nunc diximus de vniuerſali idea ſeruanda, quamuis hæc præcepta ad Comœdiam magis pertinere videantur. Docet naturam vniuſcuiuſque, ętatē, ac mores cognoſcendos eſſe, & ſimiliter illuſtrandos, ne contingat aliquando, vt perſonā aliquam ſuo decoro defraudemus. Ideò ſententiam vltimo carmine concludit. *Semper in*

 adiunctis,

adiunctis, æuoq; morabimur aptis. Hoc est, in illis quæ vnamquamque ætatem sequantur, & cum ea maximè conueniant.

Aut agitur res.

Cum quicquid in Tragœdia, & Comœdia fingitur, coram omnibus fiat, aut alibi factū narretur, fidemq; oculis maiorem, quàm auribus nostris habeamus; multa tamen sunt, quæ ab oculis spectantium remoueri debent ac tantùm referri. Cùm enim ex duobus his sensibus visu, & auditu, per quos mouetur animus, in veris summam vim habeat visus, in commentitijs auditus: Tragœdia verò, & Comœdia, ex fictis constent: si ficta proponimus oculis, qui perspicaces sunt, nec falli possunt, nullo modo spectatores mouebuntur. Si narramus, facilè credent. Difficilius enim est oculos decipere, quàm aures.

Neuè minor.

Tragœdiarum plura olim fuisse genera ex antiquis Autoribus colligitur: quædam quæ in nouis, & inauditis calamitatibus finē faciebant: aliæ in maximis periculis: aliæ in dolore, & lætitia simul, quæ fabulæ perplexæ nominabantur. Ex his primum genus vt grauius est, & laudabilius: ita & à bonis Autoribus

toribus magis vſurpatum. Tragœdia autem, quæcunque ſit, vt Horatij verba explicemus, & Comœdia, cuius hic etiam Autor noſter meminit, tribus partibus continetur, connexione, Peripætia, & ſolutione. Has tres partes quinque tantùm actibus claudendas docet, nullo alio adiuncto, vel relicto. Primis duobus connexio; tertio ſeu medio Peripœtia, id eſt, euentus in contrarium: vltimis duobus ſolutio includitur. Exempla apud Tragicos & Comicos affatim habentur.

Nec Deus interſit.

Inter aſsignatas Tragœdiæ, & Comœdiæ partes, vt difficillia eſt ſolutio, ita & multiplicior. Ideò de illa relictis alijs, vt maximè neceſſaria Poëta diſſerit. Naſcitur ergò ſolutio vel ex accidenti, vt illud Oreſtis apud Euripidem; vel ex ſigno, vt cùm Vlyſſes domum ſuam in patria Ithaca ingreſſus eſt: vel ipſa ſolutione inopinato ex conſtitutione operis emergente, alio ex alio procedente caſu; vt illa Oedipodis, quam Ariſtoteles ſtupendam eſſe dicit, & omnium clariſsimam: vel deniq; ex interceſsione Deorum, quæ machina dicitur. Hanc vltimam noſter Horatius, vt vitioſam meritò vituperat, niſi fortè anguſtijs & Poëmatis difficultatibus cir-

cunuenti ad eam confugere cogamur. Causa est, quia non licet in scenam adducere, nisi ea quæ auribus, non oculis deceptis animum verè mouere possunt: vt patet ex illo: *Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.*

Nec quarta.

Triplex Epicum Poëma hæc doctrina cõplectitur, qua monemur, ne plures, quã tres personę in actione vna misceantur, vel ad summum quatuor. Nã inuolutum & obscurum opus reddunt. Hoc diligenter animaduertunt Poëtæ, præsertim Heroici (vt in omnibus videre est) & vitium fugiunt: veluti si Virgilius cum Æneam introducit Troiæ excidium narrantem, verbaque Panthus referentem, adiungat etiam quæ Panthus ab alio se audiuisse dicat. Inductis enim quatuor personis, Poëta, Ænea, Panthu, & alio tenebræ obuoluuntur narrationi.

Actoris partes.

Locus hic lubricus sanè, ac difficilis est, quẽ nos relictis omnibus alijs explicationibus sic declarabimus. Chorus partes actoris, seu actionis, quod idem est, semper obseruet, & officium, id est, quod vnusquisq; facere tenetur secundùm naturam, & bonam

morum

morum disciplinam, *virile* (per aduerbium) seu viriliter tueatur. Nullo modo abiectè loquatur, nec nisi de illis, quę ad actionem præsentem mirificè conducant, laudando pariter quicquid cum virtute coniunctum sit, pariter contrarium execrando. Hæc probabilior videtur sententia, quòd etiam chorus populum coniunctum significet, qui de maximis rebus semper disserit, & sententiam ferat non absurdam: vt patet ex ijs, quę Choro agenda annumerat.

Tibia non vt.

Vt in omnibus alijs rebus, sic etiam in tibijs, quæ Tragœdijs, & Comœdijs olim adhibebantur, Romanę vrbis incrementū significare vult, quarum prima tenuitas in tātam amplitudinem ascendit posteà, vt nō solum, tibiæ, Poësis, citharæ, & eloquentia addito singulis splendore in statum feliciorem peruenerint: sed & haruspicinæ artes clarissimæ euaserint: quarum sententiæ, seu responsa eam apud mortales autoritatem florentissimis Romanorum temporibus obtinuerunt, quam Delphici Apollinis oracula. Quod inde patet: *Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.*

Carmina

Carmina qui.

Cùm olim Tragici animaduerterent populum diuitijs & nouis voluptatibus intentum: Scenicos ludos parui facere, Satyros induxerunt salua Tragœdiæ grauitate ad delectandam multitudinem, quemadmodum fatuis vernaculi Comœdi vtuntur. Hos verò ita adhiberi iubet, vt longè ab sint à præcipua actione, ne Reges & magni viri, qui sub *Deo* intelliguntur, vel verba indigna se ipsis proferant illis commisti, vel maiora, quàm æquũ est, inconsideratè se extollentes. Quod vitabunt *pudenter* se cũ eis gerentes, non aliter quâm nobilis & honesta fœmina in saltationibus.

Non ego.

In Comœdia, vt ex hoc loco colligitur, Satyris etiam vtebantur antiqui. Quamobrẽ Comicos Poëtas admonet, ne omnem operam consumant in excogitandis turpibus illis Satyrorum verbis, ac *dominantibus* (vt ipse appellat), quod propriè nomen ad rusticos pertinet, qui domi plusquàm Reges, ac seueriùs imperant. Nec adeò studeant Comœdiam à Tragœdia separare, vt illa suo decore & autoritate careat, cùm diuersæ conditione & dignitate personę inter se colloquantur.

Ex noto fictum.

Cum Tragœdia ex remotiſsimis, Comœdia verò ex maximè notis confingatur, præcipit Horatius materiam & actiones Comœdiæ è communi educendas eſſe, vt facilis omnibus videatur audita, tentata difficillima, ſi quis fortè ſimilem edere cogitet. Porrò difficultas conſiſtet in optima atque eruditiſsima conſtitutione, & imitatione, quam Horatius noſter *ſerie* & *iunctura* ſignificat: id eſt, ordine, & connexione, quibus bene ſeruatis quæuis triuialis materia mirabiliter decorari poteſt. Per politam nanque, vel inertem imitationem id contingit, vt equus idem bis depictus modò placeat, modò diſpliceat.

Syluis deducti.

Pręceptum de Satyrorum introductione vltimum addit, ne Satyri in dicendo nimiùm concinni, aut contrà ſint obſcœni. Nam concinnitate verborum ciuiles videbuntur, & à vera imitatione aberrabunt: obſcœnitate verò, quamuis delectent ſcurras, & perfrictæ frontis homines, offendent tamen illos, *quibus eſt equus*, id eſt, equites: & illos, *quibus eſt pater*, hoc eſt, patritios: *& quibus eſt res*, id eſt, locupletes è populo. Hic ſine dubio verus,

& ger-

& germanus est horum trium verborum sensus, cùm illis tota Respublica suis ordinibus comprehendatur.

Syllaba longa.

Cùm superiùs Iambicum carmen idoneũ esse Tragœdiæ, & Comœdię dixerit, nunc, quot & quibus pedibus constet, subiungit. Pes igitur Iambus primam syllabam breuẽ, secundam habens longam sexies repetitus nulla alia commistione carmen cõficit, quod vocatur Iambicum trimetrum, quoniam singuli bini pedes vnicum videntur contrahere. Trimetrum enim ternam mensuram de Græco in Latinum reddit. Sed quia pes iste velox nimium ac mobilis est, ideòq; minus grauis, adiunxit sibi Spondęos *in iura paterna*, id est, veluti patrem filius recipit, primum eis locum, ęquamque partem cedẽs. Et cùm Iambus tria tantum habeat tempora (vt aiunt Grammatici) Spõdæus verò quatuor, qua de causa *flebilis* ab Horatio Spondęus vocatur, & quasi *pater* grauitate, Ità Iambus primum, tertium & quintum locum Spondæo impertitus reliquos occupauit, vt vnà ambo incederent amicè consociati. Apud Ennium & Actium, quamuis trimetros com posuere, raro Iambus ità Spondęis coniun-

ctus inuenitur, sed alio modo eos, vt & posteri miscuere. Ideò illorum trimetros *mobiles* Horatius appellat, vt quidam codices habent, quia carent spondæorum stabilium grauitate siue *nobiles* per irrisionem. Nam ex multis patet Actij, Ennij, & Pacuuij rudes fuisse versus.

In scenam missos.

Admonentur ab Horatio Tragici, & Comici Poëtæ, ne decepti priori documento de spondæis admittendis, plures, quàm par est admisceant. Nam si eos continenter ac sine delectu admiserint, tale opus Critici deprimente, & parui facient, vel negligenter laboratum damnantes, vel absque arte, & ingenio compactum improbantes. Poterit tamen aliquis obijcere id quod duobus sequẽtibus versibus includitur. *Non quiuis videt, &c. Et Data Romanis, &c.* Hoc est non omnes assequi Poëmatis armoniam, & Romanos ideo sæpius errores Poëtarum tolerasse. Cui respondetur sequenti carmine. *Idcirco ne vager, scribamq; licenter?* Rursus ait aduersarius. *An omnes visuros peccata putem mea?* Addimus vltimò eum, qui talibus fretus subsidijs scribit, crimen & detractiones vitare, non honorem quærere. Quamobrem Græcis Autoribus dies noctesque adhærere debe-

debemus, qui ob laudem tantúm, & nomen operam litteris & sapientiæ nauabant.

At nostri proaui.

Plautum ab antiquioribus laudatum vituperat, tanquam inurbanum, & numerorum expertem contra sententiam multorum.

Et notum Tragicæ.

Quis fuerit primus Tragœdiæ inuentor docet, quibusq; modis ad summam autoritatē peruenerit: simulq; de veteri Comœdia disserit, cuius Chorus cum instar Satyræ mordacior esset, lege prohibitus est. Romanos etiam laudat, qui non semper Græcorū vestigijs incedentes patriæ, & ciuitatis historias in Scenam adduxerunt. Quare facilé Græcos superarent si plus laboris versibus suis impenderent. Nam versus in ora hominum exituri acerba reprehensione dignissimi erunt, si etiam post extremam manum nō iterum, ac sæpius diligentissimè corrigantur.

Ingenium misera.

Irridet quosdam qui verbis non bene intellectis Democriti decepti, cúm non nisi insanos, bonos Poetas appellaret, nec vngues præci-

præcidebant,nec capillos tondebant, vt Poëtæ haberentur : ita à sanitate in spontaneam insaniam descendebant Hanc Horatius *Antyciris* significat, quæ erant insulæ, in quibus herba helleborus inueniebatur dementiæ præstantissimum medicamen. Vnde fertur Democritus Hippocratem non aliàs visum ad se venientem interrogasse, num sibi, qui Poëta habebatur, helleborum afferret.

Sanos.

Non sine causa Democritus insanos tantùm Poësi aptos iudicabat. Cùm enim Poëta diuersas ac propè innumerabiles personas induere debeat, ideòque mobili ac versatili in omnes partes ingenio indigeat, quod sola natura præstat, tale quoddam ingenium, insaniam nominarunt antiqui,quasi ab ipso Deo ingenitum. Id ex Virgilio in Sibylla colligitur. *Insanam vatem aspicies*, & noster Horatius in epistola ad Augustum. *Leuis hæc insania quantas virtutes habeat, &c.* Et Ouidius. *Est furor in nobis, agitante calescimus illo: Sedibus ætherijs spiritus ille venit.* Ex his patet Poëtam nullius esse pretij,nisi prius à natura formetur : vt apud Platonem declarat Socrates in Apologia: Poëtæ, inquit,natura

quadam; & furore perciti carmina componunt, non sola sapientia. Hæc ille. Insania igitur inter Poëtas diuinus est furor.

Scribendi rectè.

Docuit Poëtam à natura formari, nunc ab arte perfici demonstrat affirmans eum egregium fore Poëtam, qui & sapientissimus sit Philosophus: Philosophiæ autem in tres partes diuisæ eam in primis teneat (non spretis tamen alijs) quæ ad vitam, & mores pertinet. Nam circa hanc Poëtæ, vt plurimum versantur, & generatim semper versari debent, atque ex communi hominum consuetudine, & vitæ ratione actiones elicere: quæ quò magis communes, eò veriores habebuntur, vt suprà docuimus, cùm Poëta in talibus non possit à verò discedere, in peculiaribus sepissimè, in quibus nulla lege coercetur. Ideò in communibus hoc significans ait. *Veras hinc ducere voces &c.*

Interdum speciosa.

Confirmat superius dictum exemplo in Comœdia proposito, quæ si eleganti iocorum, & communium morum imitatione floret,

ret, quamuis debito *ordine, & pondere*, ideſt, vera conſtitutione careat populo iocundior eſt, quàm ea, quæ nihil præter operis connexionem, & verſuum rotunditatem curat.

Graijs ingenium.

Græcos iterum laudat, qui cum nullius rei, niſi nominis, & gloriæ *eſſent auari*, hoc eſt, ſtudioſi ac cupidi, & ingenium à natura, & eloquentiam ab arte comparabant. Sed longè aliter, inquit Romani ſe habent, qui ab incunabulis in re familiari curãdaætatem omnem conſumunt, nihilq; libentiùs addiſcunt, quàm artes numerandi: quas adeò callent, vt aſſem(aſsis eſt duodecim partium portio ad hæreditates in duodecim partes diuiſas à Romanis antiquis, & Iuriſconſultis frequenter relata) non in has tantum, ſed in centum diducant. Quod vt exemplo cognoſcatur puerum ſic interrogat. Si *de quincunce*, ideſt, de quinq. partibus aſsis dematur vna, quidnam reliquum erit? Et quoniam fortaſſe puer pudibundus morabatur, vrbanè Horatius, *poteras*, inquit, *iam dixiſſe*: non enim ignoras. Reſpondet tandem puer, *triens*, ideſt, tertia pars aſsis. Nam quaterna-

rius numerus, qui fit è quinquunce amoto vno, tertia pars est duodeni. Ridet Poëta, ac fine pædagogo, inquit, patrimonium tutaberis. Sed dic agè iterum, *Quinquunci* adiuncto vnico numero, quidnam restat? Respondet, *semis*, idest, altera pars totius assis: nam bis sex duodenum numerum componunt. Quomodò ergo, exclamat, erimus Poëtæ, si dies ac noctes in has artes incumbimus?

Aut prodesse.

Reddit ad præcepta, quæ ad bene ac Poëticè scribendum conducunt. Docet ergo Poëtarum imitatorum munus esse in opere epico cuiuscunque sit generis narratiui, tragici, seu comici, modò prodesse, modò delectare, modò hæc duo simul coniungere in vno eodemque Poëmate. Qui communi vtilitati inseruit, breuitatem semper in præceptis, & sententijs sectetur, vt memoriæ adhæreant quod ad Tragicos pertinet. Nam maiori ex parte prodesse conantur mirabiles breuibus sententijs. At qui delectationi consulit quod præsertim curat Comicus, in verisimilibus vel re, vel fama, vel natura semper verfetur: non ita tamen, vt semper co-

gatur

gatur fide digna narrare: nec etiam licentia abusus incredibilia sibi assumat, quæ sub fabula Comica Lamiæ nobis ignota, ac idcircò per obscura videntur intelligi. Incredibile enim est *pressæ* fœminæ, idest, mortuæ infantem viuum ab aluo elici. Denique cùm à senibus inutilia negligantur ab adolescentibus delectantia tantùm amentur, Poëta ille communi omnium suffragio & consensu laudabitur, cui docere simul, & delectare curæ fuerit: quod ad narrantes Poëtas, seu heroicos tantum refertur, vtrunque perfecta imitatione comparantes. Vt est illud Virgilij docentis in amore AEneæ. *Non cœptæ assurgunt turres, &c.* Lasciuia enim amoris otiũ continuò sequitur: Illud delectantis, vt Cyclopis proceritas exaggeretur: *graditurq́ per æquor iam medium nec dum fluctus latera ardua tingit.*

Pransæ Lamiæ.

Perobscurus hic locus sine difficultate legetur facta mutatione illius *pransæ* in *pressæ*: Quod nostræ opinioni expedit, cum euenire potuerit, vt Typographus hic lapsus sit, veluti plurimi solent.

Sunt delicta tamen.

De perfecto Poëmate constituendo actũ est: nunc agendum de erroribus, qui in tali commiti possunt: quos Horatius si pauci ac leues sint, & in rebus leuioribus facilè patitur. Nam sæpè materia peccati causa est asperitate sua. Quod illis duobus carminibus ostendit: *Nam neq; chorda, &c.* Sepè est imbecillitas virium humanarum, quæ non semper peruenire possunt, quò intenduntur, ideòq. ait: *Nec semper feriet, &c.*

Quid ergo.

Cùm præcesserit: *Non ego paucis offendar, &c.* Quid ergo, interrogat, multis? Quasi dicat, quid præcipies, si plura in carmine fuerint vitia: Respondet eum venia indignum esse, qui in eundem sæpius errorem inciderit, veluti librarius, quamuis millies reprehensus: neque hunc tantum indignum esse venia, sed & illum etiam, qui in cæteris purus: eundem tamen orationis fluxum, eandẽ, dicendi normam continenter seruauerit. Cuius vitij possumus criminari Lucanũ, & Statium à primo versu vsque ad vltimum eodẽ spiritu

ſpiritu ſemper elatos. Id citharœdi exēplo oſtendit. Sic etiam, inquit, eum, qui *multū ceſſat* (ideſt, qui frequenter peccat in carmine, vt apud Terentium ceſſator Daue, hoc eſt, improbe Daue) Cherili cuiuſdam peſsimi Poëtæ loco habeo, qui vix mihi placet duo, aut tria in toto opere cum elegantia deſcribens: cùm & Homero ſtomacher, *quandoque*, ideſt, ſi quando leuiter errat. Non tamen negandum eſt, in magno Poëmate vix poſſe aliquem liberum culpa euadere. Quod enim de Homero dicimus conuenit cum poſteriori carmine: *Mediocribus eſſe Poëtis non homines non dij, &c.* Et maximè cum illo eiuſdem Horatij: *Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero*? Cū plura vitia commiſerit reprehenſione digna.

Vt pictura Poeſis erit.

Comparatione citharœdi maximè neceſſariam Poëſi ſignificauit varietatem. Idem nunc picturæ cōparatione affirmat, cui inter omnia Poëſis ſimillima eſt. Vnde Quintilianus, pictura, inquit, eſt Poëma tacens: Poëma verò pictura loquens. Quemadmodum ergo in eadem pictura ſunt quædam, quæ procul conſpecta iocundiora ſunt, quædam, quæ magis delectant quó propiùs videntur.

hæc in luce, illa in vmbra, seu tenebris constituta. Sic etiam Poëma dulcissimum redditur, cùm aliqua in ea remissius tractantur, quæ acriore cura non indigent, vt narratio totius quinti libri AEneidos Viagilij. Aliqua verò, quæ in lucem prodire possunt cũ summo acumine,& vbertate dicendi,hæc insigni rerum ac morum imitatione perficiuntur,vt totus liber quartus AEneidos,& sextus: quartus totus pateticus, sextus grauissimus.

O maior iuuenum.

Deterret à Poësi omnes, qui ad eam maximarum rerum cognitione,& sapientia muniti non accesserint. Licet enim in cæteris artibus mediocritas quædam laudabilis sit, in hac solum,qui non summus euadit, infimus omnium videtur,non tantùm hominibus,verùm & lapidibus ipsis, quos per *columnas* intelligit, vt Iuuenalis Satyra prima: *Conuulsaque marmora clamant.* Et paulo post *Assiduo ruptæ lectore columnæ.* Et fortè indicat loca, vbi carmina recitabantur, Idem etiam sic probat exemplo.Quemadmodum qui ad epulas amicos inuitat,si extra cænam superuacanea adducit aliqua,quæ non egregia sint,non so-

lum eos non delectat, verùm etiam molestia afficit: sic qui ad scribendum Poëma accedit, si non optimè id munus complet planè ridiculus est. Nam vterque vltrò, & ex animo, nemine cogente id sibi assumpsit. Quamobrem cùm Poëtæ ad iuuandos animos tam voluptate, cuius causa prius excogitata fuit Poësis, quam vtilitate posteà adiuncta scribant, meritò venia carent, si imperitè scribunt.

Ludere qui nescit.

Illudit quibusdam, qui quamuis indocti, nomen tamen Poëtarum sibi arrogant, affirmatque neminē, licet eques, vel patritius sit & ab omni vitiorum labe tam animo, quàm corpore purgatus, Poëma bene scripturum *inuita Minerua*: hoc est, si doctrina & sapientia careat. Minerua olim sapientiæ Dea est habita, & pro sapientia apud Poëtas sumitur, vt Mars pro bello, Bacchus pro vino. Vnde toto cœlo aberrare videntur, qui hoc loco inuitam Mineruam, crassam Mineruam dicunt. Quod etiam ex superiori carmine colligitur: *Scribendi recte sapere est principium & fons*. Deinde monet, vt carmina nostra aliorum iudicio subijciamus, milliesque corrigamus,

gamus, antequam in lucem veniant.

Syluestres homines.

Ferè omnes antiqui, inter quos Tullius, & Aristoteles, credidere prius olim versu, quam soluta oratione scriptum fuisse. Cui opinioni difficilis erit fides, nisi considerauerimus priscos in hanc opinionem conuenisse deceptos maiore antiquorum Poëmatum copia, quàm solutæ orationis inuenta. Causa fuit, quia Poësis delectatione sua mentibus affixa fortiùs contra temporum iniurias prę ualuit. Patet enim, & re ipsa perspicuum est solutam orationem ligatæ principium, & quasi matrem esse, contrarium verò rationi repugnare. Horatius tamen primam sententiam probare videtur de Poëticæ origine, & incremento loquuturus, cùm ab Orpheo, & Amphione initiũ sumpsisse tradat. Qui duo prima ætate mundi, cùm adhuc mortales ferarum more in speluncis habitarent, lyrico carmine insignes fuere. Homerus deinde, & Tyrtæus Poësim ad maiora conuertere. Idẽ non minore autoritate præstiterunt Sibyllę, & Oracula carminibus vt plurimũ respon dentia. Vnde illud Apollinis Delphici apud Ciceronem libro de Diuinatione: *Aio te Æaciden*

Æaciden Romanos vincere posse. Et apud Virgilium AEneas sic alloquitur Sibyllam: *foliis tantum ne carmina manda.* Posteà etiam inclusa est numeris Comœdia, quod illic intelligitur, *& vitæ monstrata via est.* Sic Tullius Comœdiam vitæ speculum appellat. Vltimò cæpit conciliari carminibus Regum fauor, quod faciunt omnes Poëtæ Latini non minus epico, & narratiuo, quàm quouis alio scribendi genere. Simul etiam excogitatus est *ludus, & finis longorum operum*: quód vt elucidetur pauca præmonebimus. Aristoteles in Poëtica epica seu narratiua opera vocat longa his verbis: *Odyssææ longus est sermo.* In his autem duplex consideratur finis, alter Poëtæ, alter Poëmatis, In AEneide finis est Poëtæ collaudare Augustum, & Romanos: Poëmatis est eleganti totius connexione, & solutione AEneam in Italiam inducere, AEneæ in Italia vrbem, victoriam, vxorem, imperium dare. Ad primum finem refertur gratiæ, & fauoris aucupatio, & carmen: *Et gratia regum Pieriis tentata modis.* Ad secundum refertur illud: *Ludusq; repertus, & longorum operum finis.* Vbi ludus longorum operum pro ornatu, seu contextura eleganter sumi potest iuxta illud Virgilianum: *Illusæq; auro vestes.*

Natura

Naturæ fieret.

Antiqua, & satis disputata est quæstio, vtrum nascatur Poëta, an arte efficiatur. Horatius vtrunque necessarium esse docet, & non maiorem laborem in arte impendendum esse Poëtę à natura formato, quam vnicuiq. opifici. Non enim satis est verbo tenus se quemquam Poëtam vēditare, & illud vulgatum iactare: *Occupet extremum scabies.* Nam ego, inquit, turpissimum iudico *in cursu relinqui*, hoc est, vel ab vno superari, non iam postremum esse, vel medium: & cum ad rem ventum est, seu ad Poëma componendum re ipsa fateri earum rerum inscitiam, quas nec noui vnquam. Aduertendum est omnia ferè exemplaria habere. *Nunc satis est dixisse, ego mira Poëmata pango.* Nos restituimus: *non satis est, &c.* Sic enim mentem Horatianam, & carminis sententiam elegantius exprimit.

Vt præco ad merces.

Facilia sunt hæc omnia, & parui momęti prę cepta vsq. ad *Quin sine riuali &c.* Sed legēdum est *Et male formatos incudi reddere versus*: Non *male tornatos*. Nam incudis proprium est formare


mare, non tornare: quod vix eſt Latinum verbum, ne ſemel quidem apud claſsicos autores vſurpatum.

Vir bonus & ſapiens.

His carminibus mirifica includuntur documenta peculiari carminum contexturæ inſeruientia, quæ obiter adducit, nobis non obiter, ſed ſumma cura legenda. Vltimò malos Poëtas deteſtatur exemplo Empedoclis Siculi, qui *frigidus* hoc eſt, non vino ardens, nec furore: aut mentis turbine agitatus in flammas montis AEtnæ ſepræcipitem dedit: eoſq. veluti mentecaptos fugiendos eſſe cóſulit: & ſimul libro de Arte Poëtica finem imponit.

FINIS.

H.M.D.L.V.



Barcinone, excudebat Stephanus Liberòs in vico ſanƈti Dominici Anno à Natiuitate Domini M.DC.XXIIII.





